6
19
47

21/9/14 6.—19.a.47

Di Patrizio Franco Spagnolo da Cesena
adi 12 d.mbre 1731





JOANNIS ANTONII

VULPII

CARMINUM

LIBRI TRES.

Ejus item Opuſcula ſoluta oratione ſcripta, quæ variis in voluminibus diſperſa ad hoc tempus legebantur.

ACCESSERE

Eruditorum quorumdam Virorum, quibuſcum ipſi amicitia intercedit, Poemata nonnulla.

NEC NON

JOANNIS ANTONII VULPII antiquioris, Patricii & Epiſcopi Novocomenſis, ac HIERONYMI ejus fratris Carmina quæ ſuperſunt.



PATAVII. CIↃIↃCCXXV.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

Illuſtriſsimo atque Excellentiſsimo Viro

ANTONIO RAMBALDO DE COLLALTO,

S. Salvatoris, Credatii, Muſeſtris, &c. in Italia, Comiti: Pirnitzi, Rudoletzi, Cernæ, &c. in Germania, Domino: CAROLI VI. CAESARIS, REGISQUE HISP. &c. Clavis Aureæ Cubiculario, nec non A ſecretioribus Conſiliis, &c. Patricio Veneto, &c.

Joannes Antonius Vulpius S. P. D.

LEGANTIUM omnium litterarum, ac Poeſeos in primis, eam ſcimus antiquis temporibus fuiſſe fortunam, VIR ILLUSTRISSIME *atque* EXCELLENTISSIME, *ut qui ad hujuſmodi ſtudia colenda maturius animum appuliſſent, diuturniſque demum vigiliis, laboribus, & contentionibus id quod voluerant, effeciſſent; non ſolum digito monſtrarentur, &*

in populi cœtibus clari nobilesque haberentur, sed etiam virorum principum amicitiis, opibus, atque honoribus mirabiliter in civitate florerent. Quibus præmiis quanta vis inesset ad maxima quæque ingenia primum excitanda, tum alenda & confirmanda, quum res luceat ipsa per se, non est cur pluribus verbis coner ostendere. Vix enim unum aut alterum invenias, qui nulla recte factorum mercede sibi proposita, nudamque tantummodo honestatis formam secuti, egregium semper aliquid cogitare, scriptisque immortalitate dignis posteritati consulere velint. Plerisque, ne labores gratuito suscipiant, impedimento est voluptatum amor: quas reprehendere quidem, tristique oratione in invidiam adducere, vulgaris quoque hominis est; contemnere autem omnino, fortique animo repudiare, heroicum ac prope divinum facinus merito existimatur. Multos rei familiaris angustiæ a sublimium rerum inquisitione ad humiles curas cogitationesque traducunt: qui nimirum sentiant, bonis libris pervolutandis, & poematis fingendis, nihil hodie compendii fieri; ex vili contra officina uberrimos sæpe fructus provenire. iccirco sibi sapere videntur, si egestati quantumvis cum doctrina conjunctæ locupletem inscitiam præferre non dubitent. Quamobrem, optime de republica, deque universis ingenuarum artium cultoribus meruisse dicendi sunt Reges illi ac Cæsares, quos in summo rerum humanarum fastigio collocatos id semper sollicitos habuit, ut homines ad præclara natos, at propter inopiam, demisso animo atque oppresso jacentes, liberalitate & beneficiis erigerent ac recrearent.

Quis

Quis enim acri adoleſcens ingenio, cui præmiorum & gloriæ ſpes objecta fuerit, vel deſidia vitiiſque corrumpi, vel fortunæ injuria ſe debilitari patiatur? Porro, ſi dati & accepti rationes diligenter conficiamus, fateri neceſſe erit, multo plus a doctis viris in divites ac potentes collatum eſſe, quam ipſi ab illis acceperint: opibus enim affluentes caduca & mortalia, eruditi & diſerti numquam interitura largiuntur. O quæſtuoſam igitur permutationem; haud ita magno pretio bonam exiſtimationem parare, laudem, celebritatem, memoriam denique nominis ſempiternam! Hujus generis exemplorum veteres hiſtoriæ plenæ ſunt: ne autem hoc noſtro tempore animi magnitudinem, pecuniæque deſpicientiam penitus obſolevisſe, litterati homines jure conqueri poſſint, TU cum paucis aliis dare operam ſtatuiſti, Vir nobiliſſime. In ea quippe Familia ortus, cujus Longobardos Reges auctores olim exſtitiſſe compertum eſt; quæ de antiquitate, potentia, divitiis, auctoritate, illuſtrium caſtellorum dominatu, viris pace belloque clariſſimis, nulli fere aut Italicarum, aut exterarum conceſſura ſit; majorum tuorum imaginibus non ad ſuperbiam atque ignaviam, ſed potius ad virtutis imitationem uti ſoles: & quum ampliſſimum patrimonium, ac nobilitati tuæ reſpondens, divina providentia tibi obtigerit, largum & magnificum TE præbes, quum aliis rebus multis, tum præcipue diſciplinis ornandis, doctis hominibus excipiendis fovendiſque, poſtremo nobilium oratorum, hiſtoricorum, ac poetarum, quibus mirifice delectaris, monumentis luculente admodum ac ſplendide eden-

dendis: taliumque ſumtuum facultatem fructum divitiarum putas. Finem orationi meæ numquam faciam, ſi de excellentibus animi tui bonis, quibus inter ceteros AULAE CAESAREAE *Proceres (quantos, & quales viros!) adeo inſignem locum obtines, ſingillatim dicere aggrediar: id unum tamen ſilentio præterire nullo modo poſſum, in quo laudum tuarum ſumma conſiſtit; T E videlicet* CAROLO VI. CAESARI, *Optimo Principi, invicto barbararum gentium domitori, orbis terrarum amori, ſagaciſſimo ingeniorum æſtimatori, acceptum & ſpectatum eſſe, ejuſque graviſſimo certiſſimoque teſtimonio commendari. Huic T U, Vir eximie, ſollertiam tuam in rebus gerendis, pietatem, fidem, conſtantiam, fortitudinem, comitatem, aliaſque homine tuo loco nato dignas virtutes, florenti adhuc ætate ita probaviſti, ut is propterea novis honoribus T E quotidie cumulare non deſinat; & quum apud T E ſuperiore anno Pirnitzi, quod caſtellum in Germania tuæ ditionis eſt, ſumtuoſo planeque regio apparatu fuerit exceptus, unum ex iis deinceps eſſe voluerit, quos de ſalute ac negotiis Imperii conſulere, & quibuſcum tantæ molis pondus partiri conſuevit. Quæ omnia quum ad me fama pertuliſſet, audiſſemque inſuper, T E tantis occupationibus diſtrictum, ſi quid tamen otii nanciſci potes, id nulla in re libentius, quam in ſtudiis bonarum artium conſumere, eaque animi alacritate, ea numerorum verborumque dulcedine Etruſcum Poema ſcribere, ut pauciſſimi, vel ex eorum numero qui omne tempus ætatis in hoc genere contri-*

triverę, TVI pares eſſe vix poſſint; incredibili deſiderio flagrare cœpi libellos aliquot meorum Carminum, Latina lingua confectos; magnaque diligentia elaboratos, nonnulla item Opuſcula ſoluta oratione, quæ illis addere, ac rurſum vulgare decreveram, ad TE potiſſimum mittendi, tuoque nomine inſcripto condecorandi. Hoc vero ne diutius cuperem, APOSTOLUS ZENUS *effecit, vir humaniſſimus atque eruditiſſimus, quem ſcilicet morum ſtudiorumque ſimilitudo ad amicitiam tuam attraxit: is enim quum litteras meas de hac re accepiſſet, mihi continuo gratificatus, quod tantopere efflagitaveram, abs TE facillime impetravit. Cui viro quum antea debebam plurimum, tum hoc uno beneficio tantum debeo, quantum perſolvere, nunquam ſane fuerit mearum facultatum. Accipe igitur,* COLLALTE *præſtantiſſime, hilari fronte munuſculum hoc noſtrum, luminibus quidem ac ornamentis dicendi minime excultum, ſed tamen ab homine tui obſervantiſſimo profectum: & conſilii mei rationem in hiſce edendis, quæque in hoc volumine contineantur, ac denique totius operis diſpoſitionem cognoſcere ne graveris; quæ ſingula breviſſime, ſi potero, exponam.*

Duæ me cauſſæ præ ceteris impulerunt, (nihil enim diſſimulabo) ut hæc qualiacumque in vulgus emittere auderem. Altera, inſita quædam omnibus de ſe ſuiſque rebus opinio, quæ in nobis præcipue qui Muſas amamus, vim ſuam oſtendere ſolita eſt: nullum enim poetam reperias (quod olim Cicero animadvertit) qui non ſibi opti-

optimus videatur: quemadmodum & raros parentes, qui non liberis plus æquo indulgeant, eorumque vitia verbis extenuent, aut etiam in bonam partem accipiant. Piguit iccirco, quæ subito calore in adolescentia effuderam, sed acri deinde lima perpoliveram, & ad normam elegantissimorum scriptorum severe exegeram, domi semper continere, ac blattis demum comedenda relinquere. Volui fructum aliquem capere lucubrationum mearum, & otii mei rationem exstare; præsertim quum doctorum virorum judicia, quæ privatim expertus fueram, huic nostræ cupiditati blandirentur, & dubitanti fiduciam adderent. Si quis autem de versiculis nostris ita pronuntiet, eos nihil aliud esse quam lusus nugasque, & primæ ætatis oblectamenta, non equidem huic sententiæ valde repugnavero: dummodo & ipse vel invitus fateatur, hujusmodi lusibus majorem solidioremque sæpe gloriam multos quæsivisse, quam e tristioribus disciplinis aliquando colligatur. Nec vero est, cur a frigidis istis & jejunis calumniatoribus quidquam sibi metuant studia nostra; videmus enim, rem poeticam ab illis fere contemni, quos ad condendum carmen ineptissimos natura progenuit: hi nempe minimi æstimant ea bona quibus carent, atque adeo levissimum facillimumque id opus judicant, cujus ipsi periculum numquam fecerunt. Nos interea tenuibus hisce & popularibus contenti simus,

— — — — — — — — * ut sibi quivis
Speret idem: sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem. — — — — — — — *Al-*

* Horatius in Arte Poetica, v. 240.

Altera cauſſa erat, quamobrem hanc aleam ſubire voluerim, ut præjudicatam de Italorum inertia, pravaque diſcendi ratione opinionem, non tam meo, quam elegantium amicorum exemplo, quorum Poemata hoc in libro legentur, ex animis plurimorum, quoad poſſem, evellerem; qui falſo clamitant, ut vaticinari interdum ac furere videantur, Italos litterarum gloriam, a majoribus acceptam, omnino perdidiſſe. Confutandi ſunt homines male feriati non jurgiis neque conviciis, at ipſa vi & ſplendore veritatis; ut tandem parcant Italico nomini, gentiſque noſtræ indolem agnoſcant, quæ quamvis inclinatione temporum nonnumquam hebeſcat, mox, veterno quasi excuſſo, pulchriorem illuſtrioremque ſeſe offert. Ego certe in Elegia ſcribenda; quod genus poematis jam inde a pueritia maxime adamavi; Tibulli veneres, candorem, incorruptamque Latinitatem me potiſſimum ſecutum eſſe profiteor: neque iccirco Propertii nervos, eruditionem, peregrinos colores, aut Ovidii copiam, ingeniumque ſum aſpernatus: quemadmodum & in ceteris carminibus, optimum quemque Romanum poetam mihi ad imitandum propoſui. Quid vero tantis conatibus egerim, penes doctos homines harumque rerum peritos judicium eſto. Atque hæc de univerſa Poesi noſtra ſummatim dixiſſe ſufficiat. Nam quæ ſequuntur hiſtorica, oratoria, & philoſophica ſcripta, non hoc primum tempore prodeunt: ſed in variis antea libris, noſtra cura ſumtuque editis, ſtudioſorum jam probata ſuffragiis, legebantur: quæ omnia propterea in hoc volumen congeſ-

si, ut maximi pro litterarum dignitate his continuis octo annis a nobis exantlati labores facilius cognoscerentur.

Nunc reliquum est, ut de elegantissimo, quod huc ex amicorum scriniis intuli, Corollario, pauca quædam subjungam. Hæc quantivis pretii Carmina, & magno huic ætati ornamento futura, nisi preces nostræ obstitissent, auctorum verecundia tenebris atque oblivioni damnaverat. Nos amicitiæ jure intercessimus; neque passi sumus, talium ingeniorum fœtus perire, ex quibus non inanem conjecturam facere liceat, quantum hodie apud nostros homines hujusmodi studia floreant. Occurrit igitur ante alios JOANNES CHECOTIUS, *Ecclesiæ Vicetinæ Canonicus, vir pietate eximia, ingenio admirando, memoria singulari, Græca Latinaque lingua doctissimus, qui profanas litteras cum sacris jampridem commutavit: ad ipsum enim pertinet Divina Oracula, Veteriſque ac Novi Fœderis Libros populo in concione explicare. Hujus quum omnia priscam redolent elegantiam, tum in primis nobilis & lectu digna est Elegia illa, quam ipsi de Hymno* CALLIMACHI *in Lavacra Palladis, post Angeli Politiani, summi viri, & Germani cujusdam, doctrina insignis, quem eruditi satis norunt, μεταφράσεις, vertere placuit: quas iccirco minoribus typis descriptas iterum exhibuimus, ut lectores nova cum veteribus conferendo, majorem utilitatem ac voluptatem perciperent. Ob eamdem causſam, Græci Poetæ exemplar, unde hæc omnia sunt derivata, e regione Checotiani operis collocavimus. Accedunt statim* FRANCISCI ZANOTTI,

Ci-

Civis Bononiensis, eruditissimi atque urbanissimi viri, nec non Latinæ Etruscæque Poeseos gloria valde celebris, qui nunc Philosophiæ decreta patrio in Gymnasio magna cum laude explanat, Elegiæ sex; quas ipsum Catullum scripsisse non puderet; adeo Romanæ orationis candorem, simplicitatem, suavitatem, ceteraſque dicendi virtutes præferunt, quas tantopere in eo poeta suspicimus. Nonnulla deinde MATTHAEI BURDEGATI, *juvenis e Patavina nobilitate, addere placuit: cujus erga me fidem ac pietatem, secundis & adversis meis temporibus, plures jam annos expertus sum; & quo propterea familiarissime utor. Neque tamen amicitiæ inservviam, sed potius veritati, si affirmavero, ejus carmina mollissime in aures influere, tenera esse, arguta, jucunda, qualia denique scriptoris ingenium atque eruditionem facile ostendant. Hunc excipit* DOMINICUS LAZARINUS DE MURRO, *Patricius Maceratensis, Humaniorum Litterarum in Gymnasio Patavino Professor doctissimus, veræque ac germanæ eloquentiæ vindex acerrimus; qui benigne ac more suo fecit, quum versiculos aliquot a se conscriptos, omnibusque numeris absolutos, nobis edendos permisit, neque alienum dignitate sua existimavit, si huic societati nostræ se admisceret.*

Postremo, ne volumini varietas deesset, quæ fastidiosos etiam homines plerumque ad legendum invitat, mihi visum est JOANNIS ANTONII VULPII *antiquioris, Patricii & Episcopi Novocomensis, qui sæculo decimosexto a* CHRISTO *nato Latinam Poesim frequentavit,*

vit, Satyræque Horatianæ formam ſua imitatione ſatis diligenter expreſſit, Carmina omnia colligere, atque iterum divulgare: hoc etenim ipſi VULPIO *Nomini tribuendum putavi, quod ſemper Muſis amicum fuiſſe hæc monumenta declarant. Qua in re præſtanda, ſtrenuo ſane adjutore uſi ſumus, viro optimo atque humaniſſimo,* JOSEPHO MARIA STAMPA, *Clerico Regulari Congregationis Somaſchæ, qui ejuſdem* VULPII *Eclogam quamdam venuſtiſſimam, numquam antea pervulgatam, ſcholiiſque eruditis a ſe illuſtratam, duo item Epigrammata inedita nobis Mediolano miſit; eoque munere, inſignis poetæ manes, omneſque pariter litterarum ſtudioſos ſibi in perpetuum obſtrinxit. Nec* HIERONYMI VULPII, JOANNIS ANTONII *fratris, Epigrammata nonnulla prætermittenda eſſe duximus; quod nimirum ſuavia & candida nobis viderentur: hæc autem omnia, etiam quæ typis commiſſa circumferebantur, in hac noſtra editione longe emendatiora & nitidiora exhibemus.*

Jam TE arbitror, Vir ampliſime, & reliquos omnes, in quorum manus hæc noſtra ventura ſunt, totam conſilii mei rationem, quæque ad hoc volumen perficiendum ornandumque contulerim, poſſe intelligere. Majora hæc erunt procul dubio, ſi homines audiverint, a TE, cujus de hoc laborum genere certum ac limatum judicium eſt, non improbata fuiſſe; meque horum vel auctorem, vel impulſorem, vel etiam præbitorem, in fidem & clientelam tuam hilare & perbenigne acceptum. Interea dum hac ſpe unice ſuſtentor, laudeſque tuas ad lyram ca-

nere

nere aggredior, valebis plurimum, COLLALTE *magnanime, cum lectissima Uxore, fortissimi Viri nepte, ac suavissimis Liberis; nostræque de TE benemerendi voluntati favebis.*

Patavii, Idibus Januarii, Anno a V.P. CIↃ IↃ CC XXV.

AD

AD EUMDEM

Illuſtriſsimum ac Excellentiſsimum Virum

ODE.

QUAE pulſa doctis articulis, novo
Permulcet aures carmine barbitos?
Quæ voce nubes alma Siren
Diſſipat, imbriferoſque ventos?

Non ſic opacis deſiliens jugis
Venit canentem pinus ad Orphea,
Quum propter imbellis quietos
Cerva latus poſuit leones:

Nec ſic deorum cœtus Apollinem
Plectro ſonantem ſuſpicit aureo
Laudes paternas, & ſuperbos
Fulmine terrigenas ſubactos;

Ut

Ut me, receptus ſenſibus intimis,
Totum pererrat Pierius calor,
Dum concava inſuetos moventur
Ad numeros Heliconis antra.

Vivitne rurſum blandus Anacreon,
Orci ſolutus compede lurida:
Cui vina ſemper, cui jocoſus
Semper Amor, Geniuſque cordi?

Rurſumne pennis æthera dividit
Thebanus ales; quo gravibus modis
Dicente victrices quadrigas
Arduus intremuit Cithæron?

Collalte regum progenies, tuæ
Agnoſco nervoſque & ſtrepitum lyræ;
Seu fœda præbentes catenis
Colla Getas, humilique vultu

Vinci dolentes, carmine perſequi;
Narrare miti ſeu libeat fide
Quæ tela depromunt eburnis
Purpurei pharetris Amores.

TE

TE gaudet, urnam pronus in auream,
Miſcere TUSCIS ARNUS oloribus:
Intacta ſubmittunt apricos
ARCADIAE TIBI prata flores.

Quin &, vagantem dum recreat gregem,
Fregiſſe pingues Faunus arundines
TE fertur audito, nigraque
Sub nemoris latuiſſe fronde.

Muſis amicos eſt aliquid lares,
Ac tecta caſtis hoſpita vatibus,
Lauro & coronatas tueri
Nobilium facies avorum.

Quod ſtirpis olim principibus tuæ
Sceptrum juventus barbara detulit;
Gens veſtra quod latos ferocis
Pannoniæ populavit agros,

Vireſque ferro contudit hoſtium,
Leti periclis objiciens caput;
Laus magna certe: ſed minores
Traditur haud meruiſſe palmas

Et

Et VINCIGUERRAE carmen, & acribus
Doctæ puellæ clarus ab ignibus,
Qui bella COLLALTINUS æque,
Ac teneras coluit Camœnas.

Hos BLANCA partu ſcilicet edidit,
Addi novenis digna ſororibus:
Quam jure miretur Corinna, &
Ipſa viris metuenda Sappho.

Felix, avaro qui procul agmine,
Vulgi profanis moribus abſtines;
Virtutis exemplum vetuſtæ,
Largus opum, cupiduſque famæ!

Felix, merenti cui gravat horrea
Juſto deorum munere Copia;
Et nixa robuſtis juvencis
Mille ſolum renovant aratra!

Sed TE propinquum ſideribus locat
Collecta ſummi gratia CAESARIS;
Fers unde præſignes honores,
Conſiliis animiſque magnus.

Longinqua non TE corripiet dies
Oblivioſi fluminis impetu:
Pulcherque facundis manebis
Hiſtoricis labor, & poetis.

Pictis tabellis heu male credimus
Geſta & virorum nomina fortium:
Muſis, Apellei colores,
Cedite, Praxiteliſque ſaxa.

IN-

INDEX

Eorum quæ hoc Volumine continentur.

Dedicatio ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Virum, ANTONIUM RAMBALDUM DE COLLALTO, *quæ Præfationis etiam locum obtinet.* pag. iii

Ode ad Eumdem. xiiii

JOANNIS ANTONII VULPII CARMINUM LIBER PRIMUS. pag. 3.

Elegia I. *Lyconis querelæ de gravi Pholoes valetudine.* 3
Elegia II. *Lycon vota ſolvit Apollini* ἀλεξικάκῳ, *quod is numine ſuo Pholoen ad ſalutem reduxerit.* 6
Elegia III. *Neæra puella iniquo animo fert, Rhodomillum adoleſcentulum procul a ſe ruſticari.* 9
Elegia IIII. *Aglaie puella Lygdamum deperit; ſed pudore impedita quominus deſiderium ſuum cuiquam aperiat, in hortis domeſticis mœrore & lacrimis contabeſcit.* 11
Elegia V. *Ad Ponticum. Ut temere peregrinari deſinat.* 14
Elegia VI. *Ad Joannem Baptiſtam Alexium, Medicinæ Doctorem, veterem amicum ſuum. Conjugium laudat.* 18
Elegia VII. *Ad Franciſcum Zanottum, Civem ac Profeſſorem Bononienſem, Poetam elegantiſſimum.* 22
Elegia VIII. *Doridis puellæ laudes. Ad Illuſtriſſimum Comitem Alphonſum Aldrighettum, Patricium Patavinum.* 25

JOANNIS ANTONII VULPII CARMINUM LIBER SECUNDUS. 32

Elegia I. *Navigationem deteſtatur.* 32
Elegia II. *Ruſticam tranquillamque vitam optat.* 35
Elegia III. *Divitiis paupertatem præfert.* 38

Elegia IIII. *De Antonio Lando, Veneto Senatore Ampliſſimo, quum is Aedis D. Marci Procurator creatus eſſet, Anno Sal.* CIↃ IↃ CC XVI. 41

Elegia V. *De Guidone Antonio Barbatio, Bononienſi Senatore, quum is Summum Patriæ Magiſtratum III. iniret Kal. Januarii Anni* CIↃ IↃ CC XVIII. *Ad Jacobum Antonium Baſſanum e Soc. Jeſu.* 43

Elegia VI. *Viro Nobiliſſimo, Petro Grimano, Ex Legato Reipublicæ Venetæ ad Carolum VI. Cæſarem Aedis D. Marci Procuratori, ampliſſimam dignitatem gratulatur.* 47

Elegia VII. *Ad Virum doctiſſimum Dominicum Lazarinum de Murro, Patricium Maceratenſem, & in Patavino Gymnaſio, Græcarum Latinarumque Litterarum Profeſſorem Primarium.* 49

Elegia VIII. *Ad Matthæum Burdegatum, Nobilem Civem Patavinum, certiſſimum amicum, ac perneceſſarium ſuum.* 52

Elegia IX. *Ad Virum eruditiſſimum, & de Italorum ingeniis præclare meritum, Apoſtolum Zenum, Caroli VI. Cæſaris Hiſtoricum, & Poetam.* 60

Elegia X. *Ad Antonium Zenum, Sacræ Theologiæ Doctorem, avunculum ſuum cariſſimum.* 64

JOANNIS ANTONII VULPII CARMINUM LIBER TERTIUS. 65

I. *Laudes Divi Rainerii, Piſarum Patroni.* 65

II. *Epithalamium in Nuptias Franciſci, Mutinæ Principis, & Carlottæ Aglaes Borboniæ, Philippi Ducis Aurelianenſis filiæ.* 73

III. *Charidemus.* Ecloga. 77

IIII. *Orator bonus in cauſſa mala.* 84

V. *Quum N. N. Venetæ claſſis Imperator e militia domum reverſus eſſet.* 86

VI. *In Funere Ferdinandi Obicii Marchionis.* 88

VII. *Aegles morituræ lamenta.* 89

VIII. *Helena Seneſcens.* 90

IX. *Ad fontem, ut ſibi Phyllidis imaginem referat.* 91

X. *Epitaphium puellæ venatricis.* 91

XI. *In aurigam, qui Lalagen abduxerat.* 92

XII. *Hieme indulgendum voluptati.* 93

XIII. *De Melampi fidiſſimi canis interitu.* 94

XIIII. *Ad amicos Patavinos, dum ad Benacum commoraretur.* 95

XV. *Ad Lycidam. Amori tempeſtive obſiſtendum.* 96

XVI. *Ad Nearchum, singulari forma, & præclara indole adolescentem.* 96
XVII. *In Nuptias Franciſci, Mutinæ Principis, & Carlottæ Aglaes Borboniæ.* 97
XVIII. *Ad Joannem Franciſcum Barbadicum, Epiſcopum Brixienſem, S. R. E. Cardinalem creatum.* 98
XIX. *Inſcriptum ſepulcro Familiæ Vulpiæ Patavii in æde D. Luciæ.* 99
XX. *Sub effigie Aloyſii Alamanni Florentini, Poetæ nobiliſſimi.* 99
XXI. *Sub imagine Nauceli, Portus Naonis fluvii, apud quem olim Bartholomæus Livianus, fortiſſimus imperator, celebrem Academiam inſtituerat.* 100

JOANNIS ANTONII VULPII OPUSCULA *ſoluta oratione ſcripta, quæ variis in voluminibus diſperſa ad hoc tempus legebantur.* 101

Andreæ Naugerii, Patricii Veneti, Vita. 103
Jacobi, ſive Actii Sinceri, Sannazarii, Neapolitani, Viri Patricii, Vita. 125
Diſſertatio in Lucretium, ad Virum doctiſſimum Joannem Gratianum, in Gymnaſio Patavino Philoſophiæ Profeſſorem Primarium. 161

JOANNIS ANTONII VULPII DEDICATIONES, ET PRAEFATIONES. 191

Dedicatio Operum Andreæ Naugerii. 191
Præfatio in Opera Andreæ Naugerii. 194
Dedicatio Fabularum Gabrielis Faerni. 200
Præfatio in Fabulas Gabrielis Faerni. 205
Dedicatio Poematum Hieronymi Fracaſtorii. 209
Præfatio in Poemata Hieronymi Fracaſtorii. 213
Dedicatio Poematum Jacobi, ſive Actii Sinceri, Sannazarii. 220
Præfatio in Poemata Jacobi, ſive Actii Sinceri, Sannazarii. 223
Dedicatio Opuſculi Auguſtini Valerii S. R. E. Cardinalis, de cautione adhibenda in edendis libris, &c. 225
Præfatio in idem Opuſculum, &c. 229
Epiſtola ad Joannem Petrum Paſchalicum, Venetum Senatorem Ampliſſimum. 238
Præfatio in Cornelium Nepotem. 241

Præ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Præfatio in Valerium Flaccum. 245
Præfatio in Libros Severini Boethii de Consolatione Philosophiæ, ad Virum doctissimum Jacobum Giacometti, Philosophiæ Moralis in Gymnasio Patavino Professorem eximium. 247

Eruditorum quorumdam Virorum, quibuscum JOANNI ANTONIO VULPIO *amicitia intercedit, nempe* JOANNIS CHECOTII *Vicetini*, FRANCISCI ZANOTTI *Bononiensis*, MATTHAEI BURDEGATI *Patavini*, DOMINICI LAZARINI DE MURRO *Maceratensis, Poemata nonnulla.* 255

CALLIMACHI CYRENAEI *in Lavacra Palladis Hymnus.* 256

JOANNIS CHECOTII *Vicetini Metaphrasis Elegiæ, sive Hymni Callimachi Cyrenæi in Lavacra Palladis.* 257
Angeli Politiani Metaphrasis ejusdem Elegiæ Callimachi Cyrenæi. 268
Auctoris cujusdam alia Metaphrasis ejusdem Elegiæ Callimachi Cyrenæi. 272

Ejusdem Joannis Checotii Carmina nonnulla. 276
I. *Ad Amicum.* 276
II. *Vicetia urbs N. N. Præfectum, a se discedentem, alloquitur.* 279
III. *Lycidas.* 280
IIII. *In Editionem Operum Andreæ Naugerii a Joanne Antonio Vulpio procuratam Epigramma Græcum.* 281
V. *Idem Latine redditum, eodem Checotio interprete.* 282
VI. *Inscribendum sepulcro Sebastiani fratris, immaturæ morte prærepti.* 283
VII. *Sub effigie D. Caroli Borromæi.* 283

FRANCISCI ZANOTTI *Bononiensis* CARMINA. 284
Elegia I. *Ad Fernandum Antonium Ghedinum.* 284
Elegia II. *Ad Virum Celeberrimum, Joannem Baptistam Morgagnum, in Gymnasio Patavino Anatomes Professorem Primarium.* 285
Elegia III. *Ad Puellam.* 288
Elegia IIII. *Ad D. Philippum Nerium.* 290

Ele-

Elegia V. *De Guidone Antonio Barbatio, Bononienſi Senatore, quum is Summum Patriæ Magiſtratum III. iniret, Kal. Januarii Anni* CIↃ IↃ CC XVIII. 294
Elegia VI. *Ad Joannem Antonium Vulpium.* 302

MATTHAEI BURDEGATI *Patavini* CARMINA. 307

I. *Quum Joannes Franciſcus Barbadicus, S. R. E. Cardinalis, a Brixienſi ad Patavinam Eccleſiam gubernandam traductus eſſet, Anno* CIↃ IↃ CC XXIII. 307
II. *Ad Joannem Antonium Vulpium, Amicum eximium ac ſingularem.* 311
III. *Ad Aeglen, de Amynta venatore.* 317
IIII. *De puella fluvio merſa.* 318
V. *Ex Italico Franciſci Petrarcæ:* Or vedi, Amor, che giovinetta donna Tuo regno ſprezza, *ec.* — 318

DOMINICI LAZARINI DE MURRO *Maceratenſis* CARMINA. 319

I. *Fingit, ſe provectiore ætate in amorem incidiſſe.* 319
II. *In funere optatiſſimi amici, Claudii N.* 322
III. *De fonte Murrano.* 322

JOANNIS ANTONII VULPII *Antiquioris, Patricii & Epiſcopi Novocomenſis,* CARMINA *quæ exſtant Omnia. Acceſſere* HIERONYMI VULPII, *Joannis Antonii fratris, Epigrammata nonnulla.* 323

De Vita Joannis Antonii Vulpii Antiquioris, Epiſcopi Novocomenſis. 325
Paulli Manutii Epiſtola ad Joannem Antonium Vulpium. 328
I. *Ad Hieronymum Dandinum, Epiſcopum Forocornelienſem.* Satyra I. 329
II. *Ad Alexandrum Farneſium, Cardinalem.* Satyra II. 339
III. *Amaryllidis querelæ de Daphnide abſente.* Ecloga *adhuc inedita; Joſephi Mariæ Stampa, Clerici Regularis Congregationis Somaſchæ Adnotationibus illuſtrata.* 347

IIII. *De Bembo.* 353
V. *Ad Ludovicum Dulcium.* 356
VI. *De M. Antonio Flaminio, qui putabatur mortuus. Ad Franciſcum Taurellum.* 357
VII. *Sub imagine Athilæ.* 358
VIII. *Sub imagine Friderici I. Imperatoris.* 358
IX. *Sub imagine Iſabellæ Aragoniæ.* 359
X. *Sub imagine Geofgii Fraiſpergii.* 360
XI. *De Antonio Leva.* 361
XII. *In Fontem Plinianum, atque in ædes magnificentiſſimas a Comite Joanne Anguſſolâ ad eum fontem exſtructas. adhuc ineditum.* 361
XIII. *De quadam veteri Inſcriptione ad C. Plinium Cæcilium pertinente. adhuc ineditum.* 362

HIERONYMI VULPII *Novocomenſis* EPIGRAMMATA *nonnulla.* 363

I. *In ſtatuam Satyri & Pueri.* 363
II. *In ſtatuam Vertumni.* 363
III. *In ſtatuam Adonidis.* 364
IIII. *Sub imagine Joannis Jacobi Trivultii.* 364
Joannis Matthæi Toſcani, & Franciſci Marii Molſæ Teſtimonia de Hieronymo Vulpio. 365

FINIS.

JO-

JOANNIS ANTONII

VULPII

CARMINUM

LIBRI TRES.

JOANNIS ANTONII VULPII
CARMINUM
LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

Lyconis querelæ de gravi Pholoes valetudine.

DICEBAM: *Nimios oderunt numina faſtus;*
Nec ſemper lucos fulmina miſſa petunt.
Quo tibi formoſæ titulum, nomenque pudicæ,
Si læſit memores impia lingua deos?
Pluribus heu nocuit fœdus violaſſe puellis:
Succeſſuſque ſuos non habuere doli.
Deſine jam, Pholoe, promiſſis fallere amantes;
Nam ſolet occulto Pœna venire gradu.
Hæc ego dicebam. ſed tu contemnere docta,
Audiſti nullo tot mea verba metu.
Ecce cubas; pallentque obſeſſi febribus artus;
Jamque omnis tenero fugit ab ore decor.
Infelix querula teſtaris voce dolores,
Diduciſque gravi ſicca labella ſiti.

Et mecum pariter lacrimis tua mater obortis
Adſidet impreſſo nocte dieque toro.
Interdum gemit: interdum languentis ocellis
Oſcula dat: ſuperis tum pia vota facit.
Quæ precor excipiat non dura Juppiter aure,
Ominaque in pelagus triſtia ventus agat.
Spes bona; ſed miſero luctatur ſæpe timori:
Et me ſollicitis morſibus urit amor.
O certe dignum (niſi mendax fama) Prometheum,
Cujus edant avidi viſcera volturii.
Gentibus ille novum ſimul æthere detulit ignem,
Non veritus magni ſceptra ſuperba Jovis,
Continuo turpes venere in corpora morbi:
Ex illo celeres Mors habet atra pedes;
Dilacerantque ſinus gnatorum in funere matres,
Et luget raptum mæſta puella virum.
At vos, quæ trahitis mortalia fila, ſorores,
Numina carminibus ſancta futura meis;
Flectere ſi fas eſt Acherontis jura precando;
Stamina felici ducite lenta colo.
Tu quoque Perſephone damnatum attingere crinem
Abſtineas. meritæ victima pulla cadet.
Creſcentem nolite, deæ, præcidere meſſem:
Tempus erit, veſtras quum vocet illa manus.
Nunc me quid citharæ, quid frons redimita corymbis,
Aut quid Gorgonei fluminis unda juvat?
Utilius medicas potui divertere in artes,
Et latebras Coi ſollicitare ſenis.

Tunc

Tunc mihi quærenti ſuccos adhibere ſalubres
Gramina præberet lecta miniſter Amor.
Forſitan heu, ſtultos dum ſero conqueror annos,
Pendet ab indocto vindice tanta ſalus.
Adſit at ille frequens, validas & miſceat herbas;
Ut ſciat, ut curet, non amat ille tamen.
Phœbe pater, ſeu te nemoroſi frigida Pindi
Rura tenent, Xantho ſeu lavis amne comam:
Huc age, Phœbe, veni, fidibus choreiſque relictis,
Et certam in dubiis caſibus adfer opem.
Tu mihi reſtituas dilectæ corpus amicæ;
Servabitque ægros una medela duos.
Irrita ſic numquam depromas tela pharetra:
Rideat Oebalio ſic tibi flore lyra.
Intonſique fluant per eburnea colla capilli;
Gaudeat & longa virginitate ſoror.
Mitis erit Pholoe, (faciles ignoſcite divi)
Et diſcet blando mollius ore loqui.
Læſa Venus, depone minas: jam flectitur illa.
Nullus de dominæ crimine flebit amans.
Poſtmodo turmatim fumantia templa petemus;
Et bibet annoſum feſta favilla merum.
Stabunt inſignes vittis, auroque decori,
Guttura dent cultris qui ferienda, boves.
Ipſa etiam tepidas ſupplex accedet ad aras,
Quam circum plauſu tota caterva ſonet.
Adponetqùe ſuos vivo de marmore vultus,
Cæſaque facundis hæc monumenta notis:

QVOD.

QVOD. MIHI. VENTVRAE. SPES. EST. PRODVCTA. IVVENTAE
ET. REDIT. IN. GRACILES. PRISTINA. FORMA. GENAS
HOC. PRECIBVS. CARI. FATEOR. DEBERE. LYCONIS
AT. PRO. ME. VOTI. SIT. REVS. IPSE. LYCON

ELEGIA II.

Lycon vota solvit Apollini ἀλεξικάκῳ, quod is numine suo Pholoen ad salutem reduxerit.

DUCITE jam pactos ad Phœbi templa juvencos:
Urantur festis tura Sabæa focis.
Utque meri madeant sollemnes imbre favillæ,
Solvite fumoso vincla vetusta cado.
Incedat lautus pura cum veste sacerdos,
Cui cingat nitidas lanea vitta comas.
Hunc mecum celebrate diem, pia turba, sodales;
Et bona jucundo murmure verba sonent.
Nuper enim lento jacuit quæ pressa veterno,
Ad solitos lusus nostra puella redit.
Illam de mediis ereptam faucibus Orci
Restituit Clarii dextera docta dei.
Aspice, qui teneros audes contemnere vates;
Exorant nostræ fata severa preces.
Nec poterat sine me tristi descendere lecto,
Nec fugere inferni colla timenda canis.
Et nunc informes horreret pallida ripas,
Quas inter nigræ labitur amnis aquæ.
Tunc mihi mærentes duxissent funus amici;
Nam me post Pholoen vivere fata vetant.

Quas

Quas ego non lacrimas, quæ non ſuſpiria fudi?
Teſtis qui noſtro pectore regnat Amor.
Ah quoties trito mala ſomnia farre piavi,
Inque meum volui vertere cuncta caput!
Promiſi quoties iratis munera divis,
Procubuique ſacras horridus ante fores!
Nulla prope eſt miſeris non conſcia fletibus ara,
Nulla tenent celebres quæ ſimulacra vias.
Delius audivit mitis placiduſque rogantem:
Nimirum caſtis vatibus ille favet.
Aoniamque lyram, & plectrum ſuſpendit eburnum;
Languenti medicas applicuitque manus.
Lucebant humiles adventu numinis ædes:
Ancillæ inſolito diriguere metu.
Quaque pedem tulerat, redolebat ſemita myrrham,
Quidquid & in tota naſcitur Aſſyria.
Continuo plaudens rutilas Amor aureus alas
Sternuit. auſpicium eſt dulce ſecuta ſalus.
Tunc macies lento cœpit diſcedere paſſu:
Poſt rediit candor, purpureuſque color.
Ac velut, hibernæ pulſo jam frigore brumæ,
Spirat ab occiduo gratior aura mari:
Suavius & verno rident in gramine flores,
Qui gaudent molli virginis ungue legi;
Sic Pholoe poſitam recipit cum fenore formam,
Telaque luminibus promit acuta magis.
Illa novos etiam geſtit domuiſſe maritos,
Claraque de templis præmia ferre domum.

Vos,

Vos, quorum tenui ſplendent unguenta capillo,
Noſtis & argutos arte movere pedes,
Quæritis & tota fallendas urbe puellas,
Jam procul abſitis: fortior illa venit.
Nam fuerit quicumque audax, is cuſpide fixus
Verſabit læſum ſæpe dolore latus.
An potius roſeaſque genas, oculoſque loquaces
Optatis magno poſſe videre malo?
Auguror: hæc ſtimulat mentes inſana cupido.
Sic avidis fallax piſcibus eſca nocet.
Ore favete omnes: prodit meus ignis: & ante
Inſternit violis Gratia nuda viam.
Et volitat circum parvorum cœtus Amorum:
Quæque jecur figant, ſpicula mille gerunt.
En tetigit ſupplex intonſi limina Phœbi,
Jamque meam donis liberat illa fidem.
At tu Latonæ proles, quo vindice morbi
Cimmerios repetunt fœda caterva lacus,
Perge precor meritam nobis ſervare puellam,
Soſpite qua vivam, qua pereunte cadam.
Effice, ne longo forma hæc defloreat ævo:
Tu faciles mores, tu bona verba doce.
Evenient. crepuit laurus, flammæque reſurgunt,
Et volucris liquidum proſpera findit iter.

ELEGIA III.

Neæra puella iniquo animo fert, Rhodomillum adoleſcentulum procul a ſe ruſticari.

EN iterum ſtringit maturas vinitor uvas:
Spumant purpureo fervida muſta lacu.
Rura petunt hilares pueri, pulchræque puellæ,
Et fruſtra in tota quæritur urbe Venus.
At me difficili torquet September amore,
Peſſima pars anni, quum Rhodomillus abeſt.
Ille quidem tenebris viſus mihi ſæpe redire
Somnum formoſis paſcit imaginibus.
Et me jucundæ ſolatur munere vocis,
Et cupidam tenero detinet uſque ſinu.
Blanda ſed aeriis miſcentur ſomnia ventis,
Languet ubi primo pallida Luna die.
Sæpe etiam duros mens anxia fertur in agros,
Nam celeres pennas commodat ales Amor.
Quales Eleo fundunt ſe carcere currus,
Quale ruit celſa fulmen ab arce Jovis.
Tecum ita, care puer, nullo prohibente morabor,
Et minuam longæ tempora triſtitiæ.
Seu te ſecretæ captantem frigora ſilvæ
Ardebit cæco vulnere tacta Dryas.
Seu falles volucrem laqueo; leporemve ſecutus
Bella geres fido ſanguinolenta cane.
Pinguia ſeu ludens imitabere verba coloni,
Sive agiles nulla duxeris arte choros.

Heu miſeranda Neæra, ſiniſtro exercita fato,
Invitam heu patruus quam jubet eſſe domi.
Ferreus ah, quicumque ſacros divellit amantes,
Et ſtatuit longas inter utrumque vias.
Illi ſub terris carpat mala viſcera vultur,
Et cinerem ſaxis femina, virque petant.
O ſi me ſubiti delatam turbinis alis
Aureus excipiat corde micante puer;
Qualia deſertæ ſpectarent oſcula valles!
Tunc ego vel ſuperis invidioſa forem.
Adnuerit precibus melior Fortuna; vagantem
Proſequar, implexis qua via denſa rubis.
Nec fugiam ſævos excire cubilibus apros,
Nec gerere imbelli tela, ſudemque manu.
Illum ſi vitrei quærentem fluminis undas
Ad cava Nympharum traxerit antra ſitis,
Hærebo lateri cuſtos, ne gurgite ab imo
Laſcivæ properent ad nova furta deæ:
Dumque parant tereti circumdare brachia collo,
Thiodamanteus pectore cedat Hylas.
Et rear ætheria labi de ſede Tonantem,
Frondoſum quoties moverit aura nemus.
Nunc umbraſque leves, & inania gaudia fingo,
Quæ veniunt, facili diffugiuntque pede.
Nunc morior curis, nunc mille pericula terrent,
Luridus & mæſto pallor in ore ſedet.
Currite, quid ſtatis? volvendi, currite, menſes:
O tandem ignavis addite calcar equis.

Pro-

Proximaq; increpitet ceſſantem bruma Novembrem.
Ille poteſt miſeris fletibus eſſe modus.
Quo feror ah demens, nimioque Cupidine victa?
Oravi ſtulte. vota maligna cadant.
Tempora tarda fluant. puero ſunt otia cordi,
Ne terat indignus mollia membra labor.
Triſtia ne torvi timeat præcepta magiſtri,
Neu fuſcet roſeas ſera lucerna genas.
Ipſa dabo pœnas, ut ne quid ſentiat ille.
Aequum eſt, ut puero ſoſpite plectar ego.

ELEGIA IIII.

Aglaie puella Lygdamum deperit; ſed pudore impedita quominus deſiderium ſuum cuiquam aperiat, in hortis domeſticis mœrore & lacrimis contabeſcit.

HIc certe redolent flores, Zephyrique ſuſurrant,
Et vitreus placida labitur amnis aqua.
Hic licet æſtivos umbra lenire calores,
Dum findit medio Sirius arva die.
Invitant molles jucunda ſilentia ſomnos,
Et præbet facilem graminis herba torum.
Huc feror Aglaïe, crudeli obnoxia fato,
Si poſſit lacrimas tergere forma loci.
Pallentes violas ubi quondam in ſerta legebam,
Gaudebamque leves mobilis ad thiaſos,
Candida quum tremulæ nerent mihi fila ſorores.
Vidiſſem Stygiæ tunc ego regna deæ;

Aut mala duxiſſem primo cum lacte venena:
Sic fueram curis eripienda ſemel.
Nunc me torquet Amor: nunc impacata medullas
Flamma vorat. miſeræ, Mors, precor, atra, veni.
Nec liquidi fontes, nec ſtagna virentia mulcent,
Nec vaga quæ tenues concutit aura ſinus.
Et quæcumque ſuos volucris meditatur amores
Garrula, flebilibus viſa dolere modis,
Illa mihi ſævos in pectore ſuſcitat ignes,
Et monet oblitas illa madere genas.
Ah mea quam certo fixiſti pectora telo,
Lygdame, quum premeres terga ferocis equi;
Et modo contractas retineres fortis habenas,
Et modo anhelanti frena remiſſa dares!
Mirabar, ſive ille citos revolutus in orbes
Iret, ſeu dociles tolleret arte pedes.
Teque unum denſo puerilis in ordine turmæ
Spectabam cupidis perdita luminibus.
Tu potis es Libycos etiam tractare leones,
Quos tantum Idææ cymbala Matris agunt.
Armeniæque tibi vellent manſueſcere tigres,
Quæ Bromium collo vix patiente vehunt.
Talis arenoſis Eurotæ ludere ripis
Arduus, & ſpargi pulvere Caſtor amat.
Sed tu Ledæum pulcherrime Caſtora vincis;
Hunc mater quamvis, & ſoror ipſa probent.
Felix o ſonipes, quem dulcia juſſa fatigant,
Cui manus incomtas fingit amica jubas!

Quem

Quem dominus blanda compellat voce frementem,
Et cogit ſubitas depoſuiſſe minas.
At me, dum fuſcos verſat Nox humida currus,
Incluſam thalamo ceſſat adire ſopor.
Sublimique Venus tangit regina flagello.
Hæc dea turbato ſcilicet orta mari eſt.
Pervigil Auroram votis, precibuſque laceſſo,
Et queror ignavos nolle redire dies.
At mihi quid prodeſt dimota Lucifer umbra?
Tempora vertuntur; me tamen urit Amor.
Non ſum quæ fueram. roſei fugere colores:
Velat inornatum ſordida mitra caput.
Sæpe ego lanificæ ſtudiis operata Minervæ
Impoſui penſis, matre jubente, manum.
Sed ferus ille puer ſoboles Cythereïa, plenos
Abjecit calathos, & grave riſit opus.
Quantum erat, o ſuperi, (ſi quos noviſtis amores,
Nec placet averſa negligere aure preces)
Aut olim Phinei miſero me perdere fato,
Ne poſſent oculi crimen habere mei:
Aut mihi (fabor enim ſecretis abdita ſilvis)
Adnuere optati gaudia conjugii?
Heu quæ virgineo temere vox excidit ore?
Da veniam lapſæ tu, precor, alme Pudor.
Hactenus, alme Pudor, potui: nunc denique victam
Alterius domini regna ſuperba premunt.
Sic tamen, ut lacrimas auſim celare cadentes,
Quas tantum flores, mutaque ſaxa vident.

O quæ-

O quæcumque tibi ventura est, Lygdame, conjux,
Felix, & magnas inter habenda deas!
Illa quidem formaque potens, & amore mariti
Deseret antiquam candida nupta domum:
Teque ulnis complexa, atque oscula dulcia figens,
Jurabit, præ te nolle tenere Jovem:
At gelidus toto fugiet mihi sanguis ab ore;
Et, simul audiero, languida facta cadam.
Tunc mihi succinctæ studia exercere Dianæ
Certum est per silvas, & nive tecta juga.
Quid mea, decepti, frustra speratis, amantes,
Connubia, & blando perditis ore preces?
Lygdamus unus erat qui me sibi jungere posset:
Hunc si fata negant, innuba semper ero.

ELEGIA V.

AD PONTICUM,

Ut temere peregrinari desinat.

TUNE igitur dulces fratres, caramque parentem
Liquisti, & patria lentus abesse potes?
Dumque oculos nova detineant spectacula rerum,
Pontice, difficilis jam tibi nulla via est?
Nec te cærulei sonus æquoris, aut juga montis
Terrent, aut pluvio sidere tristis hiems?
Sed properas, insane, æstus perpessus, & imbres;
Impellitque tuas quælibet aura rates?

Et

Et tamen, heu, molli fueras nutritus in umbra;
Et (memini) optabas otia tuta puer.
Cur tua mutata eſt ſententia? cur vagus hoſpes
Quæris, & inventas perdis amicitias?
Nullane finis erit tot barbara litora adire?
Tot maris ac terræ certa pericla ſequi?
Deſeruit quicumque ſuos perjurus amores,
Ultrices pelagi non bene tentat aquas.
Nam Venus e ſpuma violenti nata profundi,
Devotum pœnis urget acerba caput.
Sæpius in teneræ juraſti verba puellæ,
Te procul a domina vivere nolle tua.
Vivis, & exciderunt animo promiſſa, fideſque:
Vivis, & immemoris nomen amantis habes.
Tu licet extremos accedas puppe Britannos,
Dura vel immiti qua coït unda gelu;
Dein ſeptemgemini curras ad flumina Nili,
Et tua miretur carbaſa fuſcus Arabs;
Una tamen vincet peregrinas Julia formas,
Julia, quam turpi deſeris ipſe fuga.
Hæc Antenoreæ conceſſa eſt gloria terræ:
Hic ſedem imperio jam ſibi legit Amor.
Dum ſcopulos cernis, miſer, & deformia cete,
Et gaudes raucis fletibus Alcyonum,
Interea dominæ ſapientior hæret amator,
Qui ſperat damno creſcere poſſe tuo.
Illa quidem lacrimas te diſcedente profudit,
Solvit odoratas victa dolore comas.

Plu-

Plurimaque immeritis fecit convicia nautis,
Dixit & in ſummos libera verba deos.
Te quoque crudelem lingua titubante vocavit,
Et queſta eſt, pactam ſic cecidiſſe fidem.
Pontice ter felix, formoſæ cura puellæ!
Sed tibi non dederunt dii tua noſſe bona.
Si quid adhuc ceſſas, nec te vetus excitat ardor,
Digna feres tantæ præmia duritiæ.
Illa ſuæ (moneo) florem miſerata juventæ,
Alterius collum dulce gravabit onus.
Tum te contemnet, meliori juncta marito;
Inter & amborum gaudia riſus eris.
Quare ne dubita rapidos huc flectere curſus;
Corrumpunt ſegnes commoda magna moræ.
Num reſidere juvat, qua Threïcio Aquiloni
Obvertit gelidum Gallica terra latus;
Et pater Oceanus Morinorum a litore curvo
Dividit anguſto regna Britanna freto?
Iſtic, dum cohibent luctantes lintea venti,
Tollitur & multis unda ſuperba minis,
Londinum, ac Tameſin ſuſpiras, improbe: nec te
Mater, amicorum nec pia turba movet.
Qui deſiderio interea torquemur inani,
Votaque pro caro ſuſcipimus capite.
Dic mihi, quum celebres luſtraveris impiger urbes,
Quum terras omnes videris, & maria,
Quid referes tandem longarum ambage viarum?
Nempe tua exſtimulat pectora laudis amor.

Com-

Compulit Aeſoniden ventoſis gloria pennis
Linquere dilectæ litora Theſſaliæ,
Ignotumque ſacra pelagus tentare carina,
Tolleret ut rutili velleris exuvias.
Laudis amore, minor Lacedæmona liquit Atrides,
Et poſuit Phrygio caſtra Pelaſga ſolo.
Nec, quæ Priamides violaverat impius hoſpes,
Fœdera conjugii paſſus inulta diu eſt.
Sic Laerte ſatus, murorum everſor Ulyſſes,
Diſceret ut mores, claraque geſta hominum,
Pervadens medios Læſtrygonas, & Cyclopas,
Non prius ad fidæ limina Penelopes
Reſtituit ſe ſe, multas quam cerneret oras,
Virtutem expertus per duo luſtra ſuam.
An te magna movent alti documenta Platonis,
Aut iter antiqui nobile Pythagoræ;
Occultas avidi rerum qui noſcere cauſſas,
Cecropia ille quidem ceſſit, at ille Samo? (tus:
Quid tamen hæc memoro? paucorum eſt bellica vir-
Naturæ paucis vincere clauſtra datur.
Multi longinquas emenſi navibus undas,
Stultitiam feſſi dein retulere domum.
Te potius vatum dulces evolvere luſus,
Te citharam digitis increpuiſſe decet.
Quod ſi laudari cupis, en laus optima: certi
Præclarum exemplum, Pontice, amoris eris.
Tu modo fac redeas: hoc mæſti optamus amici;
Hoc fratres, cana cum genitrice, rogant.

Poſtulat hoc tacitis pulcherrima Julia votis,
Quæ pretium reditus una futura tibi eſt.

ELEGIA VI.

AD JOANNEM BAPTISTAM ALEXIUM

Medicinæ Doctorem, veterem amicum ſuum. Conjugium laudat.

QUID juvat argutum deducere carmen, ALEXI,
Blandaque laſcivo nectere verba pede:
Aut quid vicinis cithara placuiſſe puellis,
Dum venit ad numeros turba jocoſa tuos;
Quem jubet in vacuo ſolum tabeſcere lecto,
Et videt irato lumine magna Venus?
Nam ſi mille meos errent armenta per agros,
Pactolique fluat noſtra liquore domus:
Atque opibus Lydo poſſim certare tyranno,
Et me victorem barbara terra tremat;
Nil mihi proſit ebur cara ſine conjuge. fruſtra
Luceat Aſſyriis eruta gemma vadis.
Nec mihi Sidonio pulvinus murice tinctus,
Nec faciant ſomnos ſtragula picta bonos.
Quod ſi me caſtis foveat complexibus uxor,
Meque vocet balbo filius ore patrem;
Tunc ego vel Scythica tulerim cum gente vagari
Nudus, & impoſito plauſtra movere Lare.
Nec dubitem ſævis animam committere ventis,
Feſſaque ſub gelido ſternere membra Jove.

Su-

Sustineamque famem desueta pellere glande.
Tunc mihi restinguat sobria lympha sitim.
Felices olim, quos aurea protulit ætas,
Factum deliciis, & sine fraude genus.
Illi conjugium viridi pepigere sub antro,
Vel prope aquæ rivum composuere caput.
Hospitium cupidis præbebat amantibus arbor:
Implebant molles poma caduca sinus.
Flosculus offensam placabat sæpe puellam,
Osculaque inventi promeruere favi.
Ipse puer Veneris circumvolitabat inermis,
Gaudebatque rudes cædis habere manus.
Nondum sanguineo formam corrumpere fuco
Cœperat, externos nupta secuta viros.
Nec ratis Hesperios nigris admorat Eois,
Unde novas merces femina dura petit.
Tunc etiam pauper poterat securus amare.
Si fas est, veteres quæso redite dies.
Ferrea nunc alios didicerunt sæcula mores:
Candida jam toto cessit ab orbe Fides.
Nunc sibi divitias sulvo quisque exstruit auro;
Et (pudet heu) pretio vænit avarus amor.
Femina pellectis ingenti dote maritis
Imperat, & niveis vecta superbit equis.
Non illi cura est dulces educere natos,
Nec plenas multa carpere nocte colos.
At potius Tyrias auro distinguere vestes,
Et speculum pexis ante sedere comis.

Tum, quoties alti prodit de limine tecti,
Spectari populo per fora, perque vias.
Illa modo irriguos spatiatur lenta per hortos,
Et juvenum blandos accipit aure jocos.
Nunc spectat mimos curvis ornata theatris,
Nunc animo solitos versat acerba dolos.
Infert se thalamo non fastiditus amator,
Et sedet in tepido, dum cubat illa, toro.
Heu contemte pudor! cur jam Lucretia nulla est,
Quum tot nostra ferant sæcula Tarquinios?
Hæc etiam castas vitiant exempla puellas,
Et quæ tam claros non habuere patres.
Quid tamen antiquis prohibet nos moribus uti?
Dos fuerit nobis ampla, pudicitia.
Vilia securas exornent pocula mensas,
Argilla & Samiæ turbine ficta rotæ.
Nos gremio pueros excepit flavus Apollo:
Pieria digitos imbuit ipse lyra.
Et docuit sacram choreas agitare per umbram,
Dum streperet rauco tibia curva sono.
Ambo, quid sit Amor, quid fortes novimus arcus,
Et nostrum simili pectus ab igne tepet.
Ergo quid noctes miseri vigilamus amaras,
Ponimus & medio corpora pigra toro?
Occurrunt comtæ, venias quocumque, puellæ,
Ex oculis geminas conjiciuntque faces.
Hæc placet, aureolos quod colligit arte capillos:
Mobilis hæc summos detegit arte pedes.

Hanc

Hanc decet aſpectu juvenes captare: ſed illi
Purpureus tenero ludit in ore pudor.
Nec mihi vincta rigent duro præcordia ferro,
Ubera nec puero ſæva leæna dedit;
Ut me nulla queat ſenſim expugnare voluptas,
Aut Veneris nullæ tangere blanditiæ.
Adſis, o Hymenæe, boni bone raptor amoris,
Quo coeunt fauſto vir, mulierque duce.
In thalamos properet conjux formoſa pudicos,
Moribus, & facie concilianda viro.
Et mihi ſuccreſcat proles imitata parentem,
Quam Charites lepidis artibus erudiant.
Mecum opto pariter ſis fortunatus, ALEXI,
Et poſſis fato candidiore frui.
Non ſemper gelidi manant de nubibus imbres,
Aut furit excuſſis ventus in arboribus.
Tu quoque Fortunæ rapido jactatus ab æſtu,
Debita Virtuti præmia, amice, feres.

ELEGIA VII.

AD FRANCISCUM ZANOTTUM

Civem, ac Professorem Bononiensem, Poetam elegantissimum.

QUALIS, ut accepit speratæ pignora formæ,
Regius ignoto flagrat amore puer:
Et nondum visæ fingit sibi conjugis ora,
Naufraga quam sævi distinet unda freti:
Perditus & pictæ blanditur sæpe tabellæ,
Et dolet ingratos tardius ire dies;
Talis ego, absentem dum te complector, amice,
Qui mihi de solo cognitus ingenio es,
Multa interjectis facio convicia terris,
Et studeo vultus mente videre tuos.
Nulla mihi dulcem quæ servet cera figuram;
Nec solido carum vivit in ære caput:
Qui tamen æterno possit certare Catullo,
Sæpe tuus nostra versus in aure sonat.
Hic & Apelleas, & vincit Mentoris artes:
Hunc taciti frustra temporis arma petent.
Tu quoties parvi tractas prope flumina Rheni
Auditam saxis, arboribusque lyram:
Et laudas tremulos dominæ ridentis ocellos,
Quæque nitet roseis purpura fusa genis;
Certatim denso prætexunt agmine ripas
Najades, & circum candida turba sedet.

Su-

Sustinet ipse suos cursus jam segnior amnis,
Invisoque pedem torquet ab Eridano.
Quam juvat humenti corpus demittere in herba,
Atque inter faciles plectra movere deas!
Negligit hæc strophio molles vincire papillas,
Hæc aperit niveum veste fluente latus.
Illa placet flavos nodo collecta capillos,
Huic incompositas ventilat aura comas.
Felix, quem teneris commendat Musa puellis:
Cui non alterius ditior arca nocet!
Nimirum sapiunt, & fama teste probantur,
Carmina divitiis quæ potiora putent.
Quid foret Andromede, quid falso vecta juvenco,
Aut quid pennigero Tyndaris orta Jove,
Aurea si veterum siluissent carmina vatum?
Deficit, & nullo vindice forma perit.
At mecum, immitis quererer dum facta Lycinnæ,
Flerunt & montes, & nemora, & Dryades.
Illa tamen lacrimas ridebat sæva dolentis,
Terrebatque novis me violenta minis.
Nunc merito contemta jacet; vinclisque solutis,
Prætereunt nostri tecta superba pedes.
Nunc me femineos fudisse ad limina questus,
Nunc pudet ad clausam serta tulisse domum.
Et quæ mendaci texebam carmina laude
Ignis habet. chartis excidit illa meis.
Quam celebret, mediis leporem qui captat in undis,
Et subigit valido litora sicca bove.

Jam-

Jamdudum blandi nugas oblitus Amoris,
Debueram Paphiæ ponere vota deæ.
Fugit enim choreis, & luſibus aptior ætas;
Vicimus: in gelido ſtat mihi corde ſilex.
Dum me prima novo veſtiret flore juventa,
Perſpectus miſero nec ſatis eſſet amor,
Mirabar crines, & lactea colla puellæ,
Quidquid & incautos ducere fraude ſolet.
Sed velut irrigui per mollia gramina prati
Noxia mortifero vipera dente ſubit;
Sic inter placidos vultus, cantuſque, jocoſque,
Compoſitos didici ſæpe latere dolos.
Vos ego nunc moneo, ſimilis quos decipit error;
Tendite maturæ carbaſa veſtra fugæ.
Nec promiſſa fides, circumfuſique lacerti,
Nec moveant querulo dulcia verba ſono.
Et majora loquar: non ſemper credere tutum eſt,
Triſtia quum lacrimis ora, ſinuſque madent.
At tibi ſi qua pia es, nec moribus uteris iſtis,
Perſolvat læta præmia fronte Venus.
Carior eſt gemmis, & fulvo carior auro,
Quæ mulier cupido fida reperta viro eſt.
Scilicet huic noſtri ſtatuunt monumenta libelli:
Hanc adimit ſummo fama benigna rogo.
Penelope vivet, longæ quæ ſtamine telæ
Reppulit inſtantes nupta ſevera procos.
Vivet Hypermneſtre duras exoſa ſorores,
Quæ timuit ſponſi tingere cæde manus.

Eheu

Eheu quam rigidas exemplis obſerat aures,
Et tantum ſceleri perfida turba favet!
Quod ſi certa tuis precibus contingat amica,
Et qualem raro ſæcula noſtra vident;
Pone memor Veneri Pario de marmore ſignum,
FRANCISCE, & meritis da pia tura focis.
Tunc tua magnificis præſtet fortuna triumphis,
Nec tibi malueris, quas habet Indus, opes.
Tunc mihi plena mei venient ſolatia caſus.
Tu modo ne tacito gaudia conde ſinu.

ELEGIA VIII.

Doridis puellæ laudes

AD ILLUSTRISSIMUM COMITEM

ALPHONSUM ALDRIGHETTUM,

PATRICIUM PATAVINUM.

NON ita femineos cœtus exhorruit Orpheus,
Tartarei deflens irrita dona dei:
Nec ſic Theſides nemori, ſtragique ferarum
Dicitur Actæas poſthabuiſſe nurus:
Tanta nec objecit famoſæ probra Lacænæ
Steſichori ſacro pulſa furore lyra;
Quantum ego certus eram cunctas odiſſe puellas,
Et vanum ulciſci per maledicta genus.
Huc me compulerant immitis facta Neæræ,
Huc elati animi, verbaque plena dolo.

Quodque ſemel nitidi ſpecies me luſerat oris,
Formoſis nullam rebar ineſſe fidem.
Sed veterem tua juſſa movent, ALPHONSE, ſodalem,
Ne temere incœptum currere pergat iter.
Propoſitumque unus potes expugnare, quod ullæ
Flectere non lacrimæ, non potuere preces.
Ergo ſi facilis tenero ſum rurſus amori,
Si quid dulce ſonant carmina noſtra, tuum eſt.
Gaudes jure; tibi ſtetit hæc victoria magno:
Nec ſubito vinclis brachia capta dedi.
Tu mihi neſcio quam Venerem jactare ſolebas
Calcantem irato colla proterva pede:
Et pueri, toto victor qui regnet Olympo,
Terribiles arcus, indomitamque facem.
Quin etiam didici priſcorum ſomnia vatum,
Triſtia nempe feros fata manere viros.
Ut fidibus quondam Rhodopeïa ſaxa trahentem
Orphea thyrſigeri diripuere chori.
Hippolytuſque perît ſceleratæ fraude novercæ,
Devovit gnati quum caput ipſe pater.
Quique Helenæ turpi temerarat carmine formam,
Mutavit ſtultum lumine captus opus.
Tum reliqua addebas factura exempla timorem,
Hiſtoriis promens quidquid amare docet.
At tua ſecuras veniebat fabula in aures:
Contemſere leves pectora noſtra minas.
Has mihi ſi pœnas ceciniſſet Pythius ipſe,
Rapta forent celeri dicta ſevera Noto.

Nam

Nam fruſtra terrere pares, diſcrimine vitæ
Spem libertatis qui bene credat emi.
Multi ne tætro marcerent carcere, dira
Supplicia, & poſitas non timuere cruces.
Quid refert, hoſtem, an dominum patiaris Amorem?
Ille deus nullo vincitur obſequio.
Aſper eram, tumidiſque genis, ALPHONSE, loquebar
Quæ poſſent ſiccos verba decere ſenes.
Tu tamen, ancipitis ſuadente cupidine palmæ,
(Gloria difficili nam ſolet ire via)
Callidus ad miras bellator confugis artes,
Dura novo tentans pectora conſilio.
Et mihi formoſæ laudas perſæpe puellæ
Lumina nocturnis æmula ſideribus.
Et, quæ bombycis vincant tenuiſſima fila,
Fulgentes auro verſicolore comas.
Quas modo gemmatum docte diſponat in orbem,
Errantes humero mox volitare ſinat.
Nec retices gracilemq; manum, roſeumque labellum,
Mella ubi flexanimus dulcia fingat Amor.
Tum Cypriæ ſublecta deæ molliſſima verba,
Palladis arguto non ſine blanda ſale.
Hanc, memoras, Indis carmen præferre pyropis,
Non ſit ut Aonio gratior ulla choro.
Hanc faſtus odiſſe omnes, mala crimina formæ:
Et vix invidiæ tanta patere bona.
His addis raramque fidem, caſtumque pudorem;
Quem ſancte, at nulla ruſticitate colat.

Plurimaque ingenuis narras de moribus, & me
Ah ſenſim incautum ſub juga priſca trahis.
Non, ALPHONSE, tuæ ut vellem ſubrepere flammæ;
Nimirum hoc veteres ſolvit amicitias;
Sed tantum ut caro Doris dilecta ſodali
Vitaret Stygios, me celebrante, lacus:
Nec foret inviſum jam nobis femina nomen;
Commendat totum ſcilicet una genus.
Illa dies memori ſub pectore fixa manebit,
Qua primum cupido viſa puella mihi eſt.
Te ducente, deæ tamquam venturus in ædem,
Suſpenſo tetigi limina ſancta pede.
Limina, queis docti figunt ſæpe oſcula vates,
Et placido vultu janitor adſtat Amor.
Occurrit nobis flavos incomta capillos
Doris, & aſpectu non timefacta meo eſt.
At ſuavis teneras infecit purpura malas.
Non humiles animos arguit ille color.
Talis mane rubet Tithono Aurora relicto,
Frigidulo croceos humida rore ſinus.
Talis perſpicui fulget roſa fontis ad undas,
Cui ſtipent pulchrum lilia cana latus.
Mox in amatorem flammantia lumina vertit,
Tecum ſubmiſſo pauca locuta ſono.
Dii magni! raram faciem, cultuſque pudicos!
Abſtulerant oculos dulcia viſa meos.
Forſitan objecta me luſit imagine ſomnus,
Fingere qui cupidis hæc ſimulacra ſolet.

Sed

Sed tu me vigilem juras, ALPHONSE, fuiſſe,
Nec dubiam verbis rem ſinis eſſe tuis.
Ah, quicumque jugum domini detrectat Amoris,
Aſpiciat tantum Dorida, mitis erit.
Conſiliumque ferum, vitamque peroſus inertem,
Damnabit veteris tempora duritiæ.
Quem tamen haud capient blandæ ſpectacula formæ,
Tam doctæ moveant, artificeſque manus.
Circum inerant calathis operoſæ penſa Minervæ,
Pictaque felici tela nitebat acu.
Atque aliquot ſcamno poſiti jacuere libelli,
In quibus Etruſci carmina vatis erant.
Quorum ope ſic reliquis prælucet Laura puellis,
Ut ſolis nimium ſupprimit aſtra jubar.
Tum demum vera dixi te voce beatum,
Miratus faciles tam tibi, amice, deos.
Quid poterant homini largiri numina majus?
Præ tali domina quis ſibi regna velit?
Huic ego crediderim vixiſſe heroidas illas
Artibus, & facie, non probitate pares.
Antiopen, Semelen, venatricemque Atalantam,
Quamque tulit nivei per mare forma bovis.
Laertiſque nurum, & repetitam mille carinis
Tyndaridem, cujus crimine Troja ruit.
Et quas præterea Graji cecinere poetæ,
Turba licens, vanos fingere nata jôcos.
Juppiter hanc melius ſublimibus inſerat aſtris,
Qua ferus Erigonæ dat ſua terga Leo.

Nam

Nam cur Parrhasia turpavit pellice cælum?
Aut cur Cassiopen lucida sella tenet?
Hac melius nequeant cyathos tractare deorum
Alcidis conjux, Iliacusve puer.
Sed, te contemto, nolit fidissima Doris
Ardua magnanimi tecta subire Jovis.
Fortunati ambo, quos dulcia fœdera jungunt,
Fœdera non ullo dissolüenda die.
Postera concordes animas mirabitur ætas,
Et vos laudatis addet imaginibus.
Vester amor querulæ nescit mala jurgia linguæ,
Nec pulsus gelido sæpe timore labat.
Nullaque securos pungunt suspiria somnos:
Inque vicem stabili certat uterque fide.
Desipit ah, quisquis lacrimas in amore, metusque
Optat, & iratæ sævitiam dominæ.
Et faciem exsangui quærit mutare colore,
Et miserum tota vertere nocte latus;
Crescat ut alterno jucunda dolore voluptas.
Hostibus hæc placeant tristia vota meis.
Quondam ego crudelem poteram perferre Neæram;
Sed læsere graves pectora nostra vices.
Omnis enim cupidos mulier spe lactat amantes
Interdum, & facili perfida fronte nitet.
Deinde ubi mendaci stultos dulcedine traxit,
Tum vero occultam promit amaritiem.
Sic, gravidis frustra se se inclinantia ramis,
Tantaleam, perhibent, ludere poma famem.

Qua-

Quare tam certa felix, ALPHONSE, puella,
Utere diis placidis, utere ſorte tua.
Hæc vobis longum concordia duret in ævum;
Nec minuat blandas curva ſenecta faces.
Donec ad Elyſios pulchra cum Doride campos,
Exacto lucis tempore, ſerus eas.
Occurrent umbræ tenues per florea rura,
Congreſſus veſtros & ſibi quæque petet.
Nunc ignoſce, precor, tanto ſi pondere victum
Deficit ingenium ſub tua juſſa meum.
Non mihi Callimachi, non Umbri plectra poetæ:
Nec mihi tam puras Muſa miniſtrat aquas.
Ille puellarum, Phœbo vix cognitus, oſor
Hæc ego conſcripſi: num tibi forte leve eſt?

JOANNIS ANTONII VULPII

CARMINUM

LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

Navigationem deteſtatur.

QUI primus tuto ſolvit de litore puppim,
Contemnens avidi multa pericla maris;
Primus & ignotis cõmiſit carbaſa ventis,
Non certe noſtri ſanguinis ille fuit.
Sed ferus,& rabidæ nutritus lacte leænæ;
Qui poſſet ſcopulos vincere duritie.
Hinc leti patefacta via eſt: hinc plurima ſemper
Oceanus tumidis corpora volvit aquis.
Tunc peperit vigiles damnoſa pecunia curas,
Prædaque paullatim quodlibet auſa nefas.
Num tanti eſt, quæſo, pelagi cognoſcere Nymphas,
Et Nerei mutum ſollicitare pecus,
Dormiat ut gelido conjux mæſtiſſima lecto,
Et fleat immemoris triſtia facta viri?

O mi-

O miſer, invito quiſquis diſcedit Amore,
Nec patitur blandas pondus habere preces.
Illum perſequitur pœnis Rhamnuſia virgo,
Admonitus magnos ut ſciat eſſe deos.
Nam modo Threïcio ſtrident Aquilone rudentes,
Interdum e Libyca tollitur Auſter humo.
Jam Zephyrus madidas a veſpere concutit alas:
Jam tu Memnonias deſeris Eure domos.
Tunc fruſtra cupit in patriis conſiſtere terris,
Inque ſinu dominæ claudere poſſe dies.
Quid proſunt merces? quid pondera divitis auri?
Aut quid Erythræis concha petita vadis?
Omnia fallaci debentur munera ponto.
I nunc, atque malas congere divitias.
Ipſe autem fluctu in medio verſatur avarus,
Et refugo ſpumas naufragus ore vomit.
Nonne fuit ſatius glæbas moviſſe paternas,
Cogentem validos ad juga curva boves?
Nonne fuit ſatius, quam fuſcos pergere ad Indos,
Ante ſuos lætum conſenuiſſe Lares?
Et celebrare focum, & pueris antiqua referre
Tempora, & anguſta delituiſſe caſa?
Et tandem lacrimas inter, gemituſque ſuorum
Deficere, & coram verba ſuprema loqui?
Hic ſaltem vili texiſſet membra ſepulcro,
Quæ nunc alterno gurgite pulſa natant.
Placatique pio requieſſent funere manes,
Tranſiſſet Stygios & levis umbra lacus.

O valeant ſilvæ potius, pereantque ſecures,
Quam ſcindat liquidas ulla carina vias.
Aut abeant peſſum virides, niveique lapilli,
Quos vagus extremo quærit in orbe labor.
Hos olim veteres ignoravere puellæ:
Et placuit primis forma ſine arte viris.
Quid nocuit crines collo ſparſiſſe ſolutos?
Inſignem aut gemmis non habuiſſe manum?
Tunc teneros nexis velabant frondibus artus;
Ducebantque hilares brachia nuda choros.
Et nondum cæſi Neptuno viſcera tauri
Ponebat, dubium nauta ſecutus iter.
Sed quiſque agreſtes Faunos, Dryadaſque colebant
Aut lacte, aut puris ruſtica turba favis.
Tunc ego vixiſſem, nec me tam ſera tuliſſent
Sæcula! tunc ſolum vivere dulce fuit.
At vos Aeolii fratres, hiemeſque ſonantes,
Saxaque in audaces pernicioſa rates:
Tuque o Scylla rapax, tuque o violenta Charybdi,
Et ſi quos alios continet unda metus;
Præmoneo; fruſtra cupitis mea vela videre.
Me retinent villæ, cultaque rura placent.
Hic æſtate legam flaventes meſſor ariſtas,
Autumnoque premam pinguia muſta pede.
Hic poſſim ſtabulis tardas expellere vaccas,
Et revocem ſaturas ipſe magiſter oves.
Interea jactas aliquis mihi navita merces
Narret, & adverſo lintea rupta Noto.

Cre-

Credam ego præcipiti differri turbine puppes,
Horridaque immenſo monſtra natare mari:
Humenteſque Hyadas pluvio conſurgere cælo;
Dum ſedeam patrium credulus ante focum.
Hoc probat Eurynome, tacita quæ noctis in umbra
Medoaci rapidas carmine ſiſtit aquas.
Quam Venus, & dulces caſta cum Pallade Muſæ
Certatim donis excoluere ſuis.
Si tamen inſtabilem jubeat me ſcandere navem,
Et ſecum ardentes tendere ad Aethiopas,
Terra vale, dicam: quid enim? parere neceſſe eſt.
Jam, piger, e noſtro pectore cede, timor.
At potius mihi natali tellure ſepulto
Ipſa ferat triſtes munus in exſequias.

ELEGIA II.

Ruſticam tranquillamque vitam optat.

SI Fortuna mihi, vultu blandita ſereno,
Deferat arbitrii vela regenda ſui;
Non ego divitiis optem ſuperare beatos,
Libera non Indi ſceptra tenere maris.
Invidiam fugiſſe velim, curiſque ſolutus
Vertere privato jugera pauca bove.
Et modo paſtorum calamos æquare canendo,
Et modo gramineo flectere membra toro.
Aſpiciam preſſo ſurgentes vomere glæbas
Quum properat durum fortis arator opus.

Nec pigeat medio ſpicas legiſſe calore,
Nec pleno autumni munera ferre ſinu.
Et religem ſectos agreſti more maniplos.
Hæc fuerat priſcis gloria conſulibus.
Illic non pudeat, deſit ſi forte miniſter,
Condita ſordenti promere vina cado.
Illic, dum puro niteat mihi menſa ſalino,
Cœnem fictilibus dulce libenter olus.
Ante focum ſedeam turba vallatus amica,
Frigus, & hibernas fallere doctus aquas.
Villica lanifico deducat ſtamina fuſo,
Sopitæque fluant mollia penſa manu.
Tunc placeat largo crateras vertere Baccho
Omnibus, & regem ducere ſorte meri.
Felices, quibus iſta licent: quos ambitus urbis
Non tenet, aut multo limina trita pede!
Hos nec ſollicitos auri maleſana libido,
Nec tumidum falſis fluctibus æquor habet.
Ignorant cædes, ignorant Martia caſtra,
Quæque ſonant rauco vendita verba foro.
Hi commune trahunt cum diis cæleſtibus ævum.
Si tamen Admeti pavit Apollo greges;
Et ſoror occultos nemorum Dictynna receſſus
Incolit, errantes uſque ſecuta feras.
Tu quoque flava Ceres, parci tutela coloni,
Temporaque incinctus vite, Bimater, ades.
Capripedes adſunt Fauni, Satyrique bicornes,
Et Nymphæ Arcadio grata rapina deo.

Qui-

Quique ſolet vigiles hortis defendere fures
Turgidus, & ſæva non modo falce minax.
Terminus accedit dubii finitor agelli,
Et lactis niveo culta liquore Pales.
Dicitur & volucer villas habitare Cupido,
Herboſoque vagum paſcere colle pecus.
Dire puer, nigro quid fœda mapalia fumo,
Quid miſeri agricolæ juncea tecta ſubis?
Hic labor inſanas depellit pectore curas;
Otia nec blandis artibus apta vides.
Hic tenuis victus, hic uſti ſolibus artus:
Hic riget æſtivo pulvere denſa coma.
Nil agis. auratas alio converte ſagittas,
Cordaque deliciis pervia quære tuis.
Mille patent aditus, ubi cultu forma paratur,
Torquet ubi lautos femina comta viros;
Et laxant animos epulæ, rebuſque ſecundis
Diſcurrit media candidus urbe Jocus.
Me ſine ſecuris tranquillum vivere ſilvis,
Dum ferat extremos curva ſenecta dies.
Ah memini, quum plaga recens, rudibuſque medullis
Ignotus nitido venit ab ore furor;
Pertulerim quantos inſomnis nocte dolores,
Quotque pererratæ ſint mihi luce viæ.
Mitius incluſos urebant æra Perilli:
Sævit montani mitior ira lupi;
Quam tua letifero cuſpis medicata veneno.
Heu nimium noſtri ſanguinis illa bibit.

Ad

Ad laqueos mage cautus ero. quæ retia fugit,
Longius insidias provida sentit avis.
Sit mihi, Pegasides, vestros haurire liquores,
Et de Pierio carpere serta jugo.
Nec terrent dumeta, & inhospita lustra ferarum,
Dum fugiat sacro carmine pulsus Amor.
O utinam talem detur deducere vitam,
Et moveant faciles vota modesta deos.
Interea Spes alma sedet, meliusque futurum
Cras, ait; & ridens craftina fata manet.

ELEGIA III.

Divitiis paupertatem præfert.

VICINAS alius meditetur nubibus ædes,
Et vehat externis marmora cæsa jugis.
Divitis ut domini pavidum terat atria vulgus:
Despiciant humiles ut nova tecta casas.
Et serat immensis late pomaria campis,
Alcinoique paret vincere delicias.
Illi purpureis madeat vindemia prelis:
Illi det messes non venerata Ceres.
Pinguia centenis exerceat arva juvencis,
Et nitidos læto gramine pascat equos.
Aurea cui volitent circum laquearia curæ:
Stet vigil æratas cui timor ante fores.
Nec possint citharæ fugientem ducere somnum,
Aut quæ tranquillo murmure lympha cadit.

Non

Non mihi Tænario ſurgunt faſtigia ſaxo,
Nec Parius mira ſculpitur arte lapis.
Nec mihi Sidonio corrumpitur alba veneno
Lana, nec articulos Indica gemma terit.
Sit mihi parva ſatis fumoſo culmine villa,
Diſpenſet vacuos dum mihi Parca dies.
Nec me tangat amor numquam ſatiatus habendi,
Unde hominum cædes, & ſcelus omne venit.
Hic jubet adverſos bello concurrere fratres:
Hic ſæpe immeritis toxica mixta dedit.
Hic docuit rigidum falces procudere in enſem,
Et ratibus tumidi ſcindere terga maris.
Hunc lacrimæ, gemituſque juvant, & ſparſa cruore
Limina, & occultis impia furta dolis.
Hoc ſuadente boni falluntur nocte mariti,
Et didicit ſanctam lædere nupta fidem.
Ipſa petit cupidus prædator templa deorum;
Nec vetus impuras ſubmovet ara manus.
Ah pereat, quiſquis rutilum fornacibus aurum
Excoquit, aut gelidi viſcera montis adit.
Dignus quem ſubito tellus concludat hiatu,
Duraque Siſyphio ſaxa labore premant.
Pauper amicitias melius colit: otia pauper
Lentus agit. fati deſpicit ille minas.
Nec queritur, quod ſpem longi deceperit anni
Non exſpectata grandine tactus ager;
Aut male defendat liventes pampinus uvas,
Aut pereant ſucco deficiente greges.

Quid

Quid prodeſt miſeram quærendo abſumere vitam,
Nec lucri indomitam tollere poſſe famem?
Num minus oſtrino ſævit Mors pallida lecto?
Aut regum celſas præterit illa domos?
Omnes umbriferæ tranſvectat navita cymbæ:
Ad Styga communis, nec remeanda via eſt.
Quamvis aſſiduis putreſcant pauperis oſſa
Imbribus, & cineres fictilis urna tegat:
At dives titulis ornet monumenta ſuperbis,
Ut memoret ſerus nomina priſca nepos;
Nudus uterque tamen regionibus errat in imis,
Et peragit nigri ferrea juſſa dei.
Quin etiam ingentes annorum pondere turres,
Et ſuperis moles invidioſa ruet.
Signaque deficient veros imitantia vultus;
Nec poterunt ſcriptas ferre ſepulcra notas.
Atque ubi marmoreis tolluntur tecta columnis,
Tardabit celeres quælibet herba pedes.
Me nemus Elyſium, & ſtillantes balſama trunci,
Ruraque perpetuo florida vere manent;
Quum tota ingenuas conſumta ætate per artes,
Pieridas inter noſtra ſenecta cadet.
Illic eſt, quicumque aurum, gemmaſque peroſus
Continuit modico libera vota lare.
Tunc procul inferno demerſos gurgite avaros
Ridebo. incaſſum plebs inhonora fremet.

ELE-

ELEGIA IIII.

DE ANTONIO LANDO, VENETO SENATORE AMPLISSIMO,

Quum is Aedis D. Marci Procurator creatus esset, Anno Sal. CIↃ IↃ CCXVI.

DUM Venetas arces, atque Itala regna tuetur,
Et pia magnanimus corripit arma Leo
Pro templis, puerisque, & libertate Latina;
Barbaraque ingenti litora voce quatit:
Quo fremitu nostris procul a regionibus actus,
Matribus Ismariis inficit ora pavor:
Inque vicem ad nostras veniens Victoria puppes
Deserit injustos diva superba Getas:
Indomitosque minax urget Bellona jugales
Eversura tuas, Hæme nivalis, opes:
Transfuga dum Boreas intendere Thracia flatu
Vela negat, medio destituitque mari:
Dumque vident lætæ summa de rupe Procellæ
Turpia damnata corpora classe vehi:
Fatorumque moras ægre patiuntur, & iræ
Sollicitant votis tempora lenta suæ;
Quam bene promeritos contingit LANDUS honores,
Non levis antiquis gloria LANDUS avis!
Cujus adhuc mites optat Vicetia fasces,
Imperii celeres questa fuisse dies.
Præside quo largas diffudit Copia fruges,
Expulsumque Utini cessit ab urbe nefas.

Conveniunt populuſque frequens, hilariſque ſenatus:
Fertur per celebres aurea pompa vias.
Excipiunt plauſum vitreo ſub gurgite Nymphæ,
Glaucaque formoſæ Doridos antra ſonant.
Ipſe caput Proteus muſco præcinctus, & alga
Sic ait, atque imo ſuſtulit ora vado:
Salve læta dies, fati melioris origo,
Unde fluent niveo tempora fauſta pede.
Exſpectata venis. LANDUM nova purpura veſtit,
Speſque novæ ſurgunt, ac timor omnis abit.
Ite agite, Hadriacos proſcindite remige fluctus,
Candida felices pandite vela rates.
Jam piget Ionium duro ſervire tyranno,
Jam redit ad Venetos Creta recepta duces:
Et Pelopis tellus, & Cypros, & horrida ventis
Quæcumque Aegæas inſula frangit aquas.
Eventura cano. dabis o gens impia pœnas,
Et paſſim hoſtili cæſa tereris equo.
Omina dat LANDUS, clari genitoris imago.
Cernitis, ut nati vivat in ore pater?
Quem Pallas toties eſt admirata loquentem,
Altaque ſeptenis addita Roma jugis.
Ille quidem puri fruitur nunc ætheris hauſtu,
Sidereaſque tenet nobilis umbra domos:
Non tamen humanas penitus contemnere curas,
Aut animo patriam depoſuiſſe poteſt.
Et bene habet, nobis quod pignora tanta reliquit.
Hoc ſaltem ſervent fata benigna caput.

Innu-

Innumeros magnis virtutibus impleat annos,
Dum ſteterit princeps urbis in arce ſuæ.
Tum demum gemini claudentur ferrea Jani
Limina: tunc terra pax erit, atque mari.
Et Venetos Oriens poſitis venerabitur armis:
Incipient longo tela perire ſitu.
Finierat Proteus. Nymphæ adſenſere canenti,
Brachiaque alternis implicuere choris.

ELEGIA V.

DE GUIDONE ANTONIO BARBATIO, BONONIENSI SENATORE,

Quum is Summum Patriæ Magiſtratum III. iniret Kal. Januarii Anni CIↃ IↃ CCXVIII.

AD JACOBUM ANTONIUM BASSANUM E SOC. IESU.

SOL pater, æterna mundum qui lampade luſtras,
Atque hominum varias cernis ab axe vices:
Qui dum hiemes volvis, dum pomiferos autumnos,
Fortunam ſtabili non ſinis eſſe pede:
Annorumque ictu mortalia cuncta fatigas,
Firmaque paullatim ſubruis imperia:
Non tamen eximios audes virtutis honores
Deterere; hanc etenim ſæcula nulla domant:
Exſere purpureos pelago, Sol, exſere vultus;
Funde precor toto purius orbe jubar.

Nunc decet insueto currus ardore nitere, &
Flammea disponi per juga chrysolithos.
Nunc stratos ostro, quod neverit Amphitrite,
Aurea cornipedes mandere frena decet.
Te quoque odoratos æquum est coluisse capillos,
Et festum luxu sic agitare diem.
Tandem exspectatæ Jani venere Kalendæ,
Unde suum præceps incipit annus iter.
Hac olim niveos mactabant luce juvencos,
Tum quum gavisa est consule Roma novo.
Omnis & Assyriis fumabat messibus ara,
Placabat magnos & sibi quisque deos.
At quoniam hæc longum fato secum abstulit ævum,
Prospice qua Rhenus pinguia culta secat,
Et procul aerias ostentat Felsina turres,
Aemula Romanæ Felsina lætitiæ.
Clarus avis, opibusque potens BARBATIUS heros
Accipit hic patriæ candida signa suæ.
Quem si magnanimi gravis audiat umbra Catonis
Abdita promentem pectore consilia,
Et circumfusi vertentem corda senatus;
Lætetur, priscum non periisse decus.
Cui nunc pro donis Arabum, pro sanguine fuso
Taurorum, & quæ fert vana superstitio,
Pulchra parant docti libare poemata vates,
Mollia Pierius queis rigat ora liquor.
Hos inter clari nomen BASSANUS amici
Ad vaga sublimi sidera laude vehit.

Qua-

Qualem te memorant a funere conjugis, Orpheu,
Infernum cithara perdomuiſſe canem.
Umbrarumque domos, regemq; adiiſſe tremendum;
Horridaque abreptæ limina Perſephones.
Dein retuliſſe pedem, & ſola ſub rupe ſedentem
Dilectos ſuperis concelebraſſe viros.
Plurima quum ſummo deſcendit quercus ab Hæmo,
Suſtinuitque ſuas impiger Hebrus aquas.
Me ne igitur, BASSANE, ullos conſcribere verſus
Juſſiſti, & cultis obſtrepere ingeniis?
Durior & ferro, & ſaxis frangentibus æquor
Sim, tibi ſi optanti munera parva negem.
At me deficiunt ſub iniquo pondere nervi,
Nec ſtrepitum raucæ fert mea Muſa tubæ.
Eſt tibi, qui poſſit veteres æquare poetas
ZANOTTUS, veſtri gloria rara chori.
Hic nobis tenerum poſt ſæcula longa Catullum
Reſtituit, blandos edidicitque modos.
Hic, quoties libuit pennis diffindere nubes,
Fortia Pindaricis facta canit numeris.
Scilicet hunc poſcit ſoboles BARBATIA vatem,
Quem fovit caſto Calliopea ſinu.
Hujus erit labor, antiquos evolvere faſtos,
Præclarumque ſuo ducere fonte genus.
Invictoſque duces, pugnataque bella referre,
Et ſpolia audaci rapta cruenta manu.
Quique toga inſignes fuerint, ſtudiiſque Minervæ,
Pectoraque Aonio perluerint latice.

Tum

Tum canet, ut repetens animo benefacta parentum
Rite colat magnus nomina tanta nepos.
Utque tener, viridi primum florente juventa,
Sirenum dulces fugerit illecebras.
Turpiaque ignavi contemserit otia vulgi,
Ausus difficiles Herculis ire vias.
Egregium donec mirata Bononia civem,
Hoc illum summo jussit honore frui.
Multaque præterea narrabit carmine digna,
Quæ solum vestris cognita sunt oculis.
Me tenet urbs Patavi, sacris terra hospita Musis,
Medoacus placido quam pater amne lavat.
Quod tamen aspectu vestro,& sermone carendum est,
Heu videor Scythicas incoluisse nives.
Nunc optata mihi præ cunctis Felsina terris,
Sis felix, ac te Copia semper amet.
Nec tibi lugubris noceat vis effera belli;
Pacalisque tuas nectat oliva comas.
Et quicumque altos intraverit advena muros,
Te dicat florem, te decus Italiæ.

ELE-

ELEGIA VI.

VIRO NOBILISSIMO

PETRO GRIMANO,

Ex Legato Reipublicæ Venetæ ad Carolum VI. Cæsarem Aedis D. Marci Procuratori, amplissimam dignitatem gratulatur.

MIRABAR curvo nuper de litore, qua se
Medoacus placidis in mare volvit aquis;
Et digito procul Hadriacas novus advena turres
Indicat, & remis navita mutat equum;
Quid streperet conchæ tanto mihi murmure Triton:
Duceret insolitos quid Galatea choros:
Summaque nudatis findentes æquora mammis,
Percuterent virides cymbala rauca deæ.
Quum subito nostras GRIMANI nomen ad aures
Accidit, & plausus cognita caussa mihi est.
Nempe hic, longinqua postquam regione moratus
Auxisset patriæ spemque, decusque suæ;
Et Venetis jungens felicia Cæsaris arma
Fregisset magno barbara corda metu;
Clademque, excidiumque Italis pepulisset ab oris;
Attigerat reduci limina cara pede.
Qui nunc purpureo incedit sublimis amictu,
Inter honoratos excipiturque patres.
Hoc meruit docti facundia pectoris index,
Consiliumque sagax, nec temerata fides.

Hoc

Hoc meruit, casus animo sensisse futuros,
Nec rerum dubias pertimuisse vices.
Et cæcos penetrasse aditus, tenuesque recessus,
Fraus humana quibus condita sæpe latet.
O quoties, quum victa jacent animalia somno,
Et regnat pulso grata labore quies,
Ipse vigil, rapido curarum percitus æstu,
Abstinuit molli ponere membra toro:
Oblitusque sui; & patriæ memor usque salutis,
Multa tulit, tanto vix patienda viro!
At quicumque imi contagia linquere vulgi
Postulat, Herculea tendat in astra via.
Serta manent fortem, forti debentur honores.
Aeternos perhibent sic statuisse deos.
His olim studiis usa est GRIMANA propago,
Late conspicuum tolleret unde caput.
Noscere quam penitus quisquis cupis, inspice fastos,
Claraque nobilium perlege facta virum.
Quorum alius duri per mille pericula belli
Contudit adversos, Marte favente, duces;
Ferreaque hostili detraxit rostra carinæ,
Et fixit pulchras postibus exuvias.
Turbatas alius pacavit legibus urbes,
Plecteret ut vetitum debita pœna nefas.
Regibus hic populisque tulit mandata senatus:
Huic fulsit sacro murice cincta coma.
Quid memorem tot magnifice parta otia Musis?
Tot collecta pia signa vetusta manu?

Quid

Quid ſemper profugis virtutibus hoſpita tecta?
Aut quid contemtas munera ſortis opes?
Egregiæ, gaudete, animæ, cæloque recepti
Heroes: gaude tu quoque, magne nepos.
Vivetis pariter communibus in monumentis:
Aequabit celebres fama nepotis avos.
At tibi dent faciles ſuperi, GRIMANE, quod optas,
Compoſitis patriæ rebus adeſſe ſenem.
Donec, gemmato canos velante tiara,
Contingat primæ ſedis honore frui.
Impia tum priſcum vertentur ſæcula in aurum:
Sidera tum cupiet deſerere alma Themis.
Interea tenuem, quæſo, ne deſpice Muſam;
Utque olim valeam ſcribere plura, fave.

ELEGIA VII.

AD VIRUM DOCTISSIMUM
DOMINICUM LAZARINUM DE MURRO,
PATRICIUM MACERATENSEM,
& in Patavino Gymnaſio, Græcarum Latinarumque Litterarum Profeſſorem Primarium.

ETsi te, Vir magne, meæ nil laudis egentem
Pierides claris vatibus annumerant:
Immenſumque volat celebris tua fama per orbem,
Nec tibi jam Lethes unda nocere poteſt:
Seque tua Livor domitum virtute fatetur,
Inclyta qui nigro nomina dente petit;

Attamen, his ausim quod te committere chartis,
Ne mihi propterea tristior esse velis.
Quærimus obscuro lucem, pretiumque labori,
Vivat ut auspiciis pagina nostra tuis.
Optamusque, animi sensus aperire latentes;
Nimirum innumeris cogimur officiis,
Quæ præstare soles; & quorum gratia apud me
Durabit, summo vix abolenda die.
Et vero, ut noctis pallentem dimovet umbram
Quæ dea puniceo candida fertur equo;
Vanaque diffugiunt incerto Somnia passu,
Quum Sol æquoreis exserit ora vadis;
Non aliter veteri tua vox Antenoris urbe
Invitam jussit cedere Barbariem.
Et nunc illa procul sitientes fugit ad Afros,
Ereptamque sibi respicit Ausoniam.
Vindice te, redeunt quas Græcia protulit, artes:
Romanique adeo vis redit eloquii.
Fontibus e puris lymphas haurire salubres
Jam licet: incautis nulla venena nocent.
Intima tu reseras magni penetralia Tulli,
Unde nitor verbis, & venit unde lepos.
Et quæ Nicomachi proles præcepta reliquit,
Et quæ divinus fuderat ante Plato.
O si Mæonius tumulo consurgat Homerus,
Laudari quantum gaudeat ore tuo!
Aurea cui levibus pulsanti sidera pennis
Graculus, & turpes increpitant fulicæ.

Tu

Tu flendum proponis, avo cognomine, ULYSSEM,
Luctiſoniſque imples tota theatra modis.
Ignota, obſcenis huic nubit filia tædis,
Nereidum falſas mox aditura domos:
Hic natum imprudens tepidas obtruncat ad aras,
Dum putat hoſtili flectere fata nece.
Præcinit, heu, diros vates non credita caſus;
Fruſtra: nam miſerum numina læva premunt.
Et quæ pollutos genitoris cæde penates
ELECTRA aſſiduis conqueritur lacrimis,
Digna SOPHOCLEI virgo ſplendore cothurni,
Edocta eſt ITALOS te præeunte ſonos.
Quam tua proſequitur juſto SALVINUS honore
Carmina, Tyrrheni gloria prima ſoli!
SALVINUS, cui mella ſui depromit Hymetti
Pallas, & Argolicas ipſa recludit opes:
Etruſcæque favent Charites, Muſæque Latinæ;
Adſurgitque virûm docta caterva ſeni.
Nec tantum priſco Tiberis Varrone ſuperbit,
Quantum hoc ſublimes extulit ARNUS aquas.
Ut tua dicta libens terſa CHECOTIUS aure
Excipit! ille pio junctus amore mihi.
Qui poſtquam lucos potuit, Heliconiaque antra
Linquere, Jordanis flumina ſancta bibit.
Hunc ſummo gaudens proſpectat ab æthere Frater,
Cui Mors, heu, rapidas intulit atra manus:
Et videt, hoc ſe quam VICETIA jactet alumno,
Totaque ab egregii pendeat ore viri.

Nos humiles etiam teque, & tua ſcripta probamus.
Ne tibi devota ſim, rogo, mente pudor.
Vilia neu timidæ munuſcula temne Camœnæ;
Quos me juſſit amor mittere, verſiculos.
Solliciti pergat ſic vota implere magiſtri
Jamdudum Latia clarus in urbe puer;
Non dubia Heroum ſoboles, tuus ille COLUMNA,
Pandit qui Grajo, te duce, vela mari.
Sic te dextra ſinat nullo Fortuna tumultu
Vivere dilectis molliter in ſtudiis.

ELEGIA VIII.

AD MATTHAEUM BURDEGATUM, NOBILEM CIVEM PATAVINUM,

certiſſimum amicum, ac perneceſſarium ſuum.

DESINE, mi veterum laudando tempus avorum,
Perfidiæ noſtros inſimulare dies;
Quod ſpolia e caro poſcat ſibi quiſque ſodali,
Nec timeat læſæ crimen amicitiæ;
Triſtia quod blando lateant ſub melle venena,
Nil moveant duros quod benefacta viros;
Certeturque dolis, & dira pecunia regnet,
Quæ ſcelere, ac multo parta cruore juvat.
Si ſapis, ingratas, oro, compeſce querelas:
Non hoc eſt demum tempore pulſa fides.
Tu licet humanæ primordia gentis, amice,
Et repetas animo ſæcla vetuſta tuo;

Uno

Uno quum pariter mortales jure, deoſque
Pacato regeret falcifer orbe ſenex;
Invenies tamen antiquæ veſtigia fraudis,
Et cernes, vetitum fluxerit unde nefas.
Tunc homines gelidis vitam coluere ſub antris
Inter montivagas, horrida turba, feras:
Aut ſævum contra Boream, pluviaſque, tegebant
Exiguam culmo cæſpitibuſque domum.
Tunc de frondoſa quatiebant ilice glandes,
Quas tenero agreſtis manderet ore puer.
Suſcepere cavis acclines flumina palmis:
Ignoti fuerat gratia nulla meri.
Publica materies & cauſſa cupidinis, aurum
Tunc prope ſe Stygias abdiderat tenebras.
Non Tyrio infectum ſplendebat vellus aheno,
Nec quæ longinquo e littore bacca venit.
Divitiæ grandes, contexta cubilia fronde,
Raptaque ab hinnulei tergore pellis, erant.
Num minus infeſtus vitiavit pectora livor,
Pectora tam parvis exſatiata bonis?
Quis credat? denſis miſcebant prœlia ſilvis;
Et dabat iratis quælibet arma furor.
Inque vicem fixis laniabant dentibus artus:
Spargebat largo ſanguine vulnus humum.
Cædis origo, ſuis decerpta cydonia ramis,
Aut in præruptis arbuta lecta jugis.
Munera quæ rudis ad dominam quum ferret amator,
Commiſit validos aſpera rixa procos.

Quid

Quid mirare, mala ſi quis nunc mente laboret,
Et faciem fingat, nec putet eſſe deos?
Impia nunc magnos tolerant perjuria ſumtus:
Fallendo placitas cogit avarus opes.
Negligat officium, tenues conculcet amicos,
Supremas repat divitis in tabulas,
Quem prætexta juvat, claros quem tollere faſces;
Cui deductorum ſedula turba placet.
Effodit huic gemmas nigros mercator ad Indos:
Huic datur Attalico ſtertere poſſe toro.
Solus Phidiacos lapides, atque æra Myronis
Poſſidet: ingenio ſolus, & arte valet.
At quiſquis modico vivit contentus agello;
Cui faciles epulas villica rure gerit:
Quem peccare pudet, ſuperos qui caſtus adorat;
Spernitur, & capitis nomen inertis habet.
Non tamen inſani vincat ſententia vulgi,
Virtutem ut nullo juſſerit eſſe loco.
Fervet adhuc pietas paucorum pectore: fervet
Numquam corrupti certa fides animi.
Et ſupereſt Pylades, carum qui ſervet Oreſtem;
Cui ſint pro miſero vota ſodale mori.
Ne facere immiti, quæſo, convicia lingua
Temporibus noſtris, candide amice, velis.
Te ſpecta, moreſque tuos: laudabitur ætas
Hæc tibi. quo præſtent ſæcula priſca novis?
Grata recordanti fuerint, quæ nempe dediſti
Maxima conſtantis tot documenta viri.

Poſt-

Poſtquam etenim ſacri conſcendere, me duce, montis
Fata jugum tenero te voluere pede;
Calce ubi perpetuum duris e cautibus amnem
Elicuit volucer Bellerophontis equus;
Ambo concordes junxere adamantina vincla,
Quæ non funereo ſolverit igne rogus.
Seu me nimboſo naſcentem lumine vidit
Proximus Heſperiis fluctibus Aegoceros:
Sive minax atræ violenta cuſpide caudæ
Scorpius: ætheriæ ſive miniſter aquæ:
Teque Jovis pueri, vel Maja Atlantide cretus;
Conveniunt miro ſidera noſtra modo.
Tu mecum ſolitus noctu verſare diuque,
Cognita Romano ſcripta diſerta foro:
Trojanum Aenean, celſi monumenta Maronis;
Tityron; &, lætas quid faciat ſegetes.
Et quos laſcivo queſtus dictavit amanti
Lesbia, jucundis non ſine blanditiis.
Præterea culti quæ flevit Muſa Tibulli,
Dum reputat Nemeſis triſtia facta ſuæ.
Et quæ Cyrenes Umber ſectatus alumnum,
Occluſas dominæ concinit ante fores.
Nec piguit legiſſe venuſti carmen Horati,
Sparſaque Socratico dicta ſevera ſale.
Quidquid & in placidis Epicuri ſomniat hortis
Qui rerum cauſſas, primaque texta canit.
Tum præcepta levis quæ fert conſultus amoris
Naſo, peregrino juſſus obire ſolo.

De-

Denique Plautini risusque, jocosque theatri,
Et nitidum vates quod dedit Afer opus.
Testis erit Phœbus, testes Libethrides undæ,
Doctaque Pierides numina, noster amor.
Est locus, umbrosi quem cingunt arbore colles,
Et Patavi decimus dividit urbe lapis:
Irriguis fecundus aquis; ubi plurima floret
Vitis, & albentes pandit oliva comas.
Hunc amat Arcadico Pan commutare Lycæo,
Et nemora argutis mulcet arundinibus.
Hic leporem curvo venantur Oreades arcu,
Hortaturque suos ipsa Diana canes.
Hic volucrem possis viscata fallere virga,
Aut tereti laqueo præmia parva sequi.
Eusebii Vallem perhibent. quæ gaudia nobis
(Ah memini) felix attulit iste locus!
Quum me contemta venientem sæpius urbe
Excepsti nitido lætus in hospitio.
Scilicet hic nostris præbebas otia Musis:
Duximus hic agiles, nocte silente, choros.
Adsedique bonis gratus conviva puellis;
Detinuitque meas alea blanda manus.
Et modo paganæ ridebam pubis amores,
Phyllidis aut spreto de Corydone jocos:
Et modo mirabar, Phæacis æmula silvis,
Quæ BARBADICO juncta vireta lari.
O mihi transactas curis sine tristibus horas!
O mihi jucundos, & sine nube dies!

Illis

Illis noſtra velim condi regionibus oſſa,
Si tumulo faveant fata benigna meo.
Eheu, quod ſubito merſit nos invida fluctu
Fortuna: inſtabili ſemper acerba pede.
Scilicet hæc dulces auſa eſt diſſolvere cœtus:
Compulit hæc miſeras ſuſtinuiſſe vices.
Et nunc ipſa dolent abſentes rura poetas:
Suſpirat veterem villula triſtis herum.
Te nunc, Muſarum tranquilla a ſede remotum,
Exercent rauci tædia longa fori.
At me dilectæ mors inſperata parentis
Perculit. heu merito mater amata tuo!
Quem mihi liquiſti crudeli funere luctum!
Gaudia quam penitus tunc periere mea!
Et potui tanto durus ſupereſſe dolori?
Impia nec cineres miſcuit urna duos?
Ex illo molles abſumere cura medullas,
Et lacrimis pulſus cœpit abire ſopor.
Tunc mihi, non ſucci quos candida porrigit Hebe,
Non valida in Colchis gramina cocta focis;
Pocula non Helenæ, magnus quæ laudat Homerus,
Aſſiduam poterant demere triſtitiam.
In me quid priſci renovata exempla Lycambæ,
Aut referam ſtructos in mea damna dolos?
Quid memorem ſparſos nulla mercede labores,
Ut Danai proles improba perdit aquam?
Et, quo mærorem cumulari denique ſenſi,
Immodicis animum pervigilem ſtudiis?

Tu mihi ſubdebas ægræ ſolatia mentis,
Ut vellem forti pectore ferre mala.
Caſibus & nullis obnoxia regna docebas
Virtutis; vero ſola referta bono.
Quam Fortuna tremit, domitus cui ſupplicat orbis:
Purpura quam, viles & venerantur opes.
His ego manſuetas impleri vocibus aures
Gaudebam: luctus hæ minuere meos.
Nec mihi, nobilium decus ALDRIGHETTUS avorum
Defuit; Aoniæ maximus arte lyræ.
Nec SALIUS, cui dant ſuperi florente juventa,
Vincere conſiliis, & pietate viros.
Hic ſcenæ reducem nuper commiſit Ulyſſem,
Mutuaque infractæ gaudia PENELOPES.
Promittitque, datis longe ſe plura daturum;
Eximio juveni ſtet modo firma ſalus.
Dii vobis tribuent felicia cuncta, ſodales,
Succeſſu careant ni mea vota ſuo.
O utinam noſtro tandem ſatiata periclo,
Vertat præcipitem Sors inimica rotam:
Incipiantque mihi niveæ procedere luces:
Et numquam lacrimis imbuat ora dolor.
Poſſit & optatos ex me ſpectare nepotes,
Qui nobis peperit commoda tanta, pater.
Tres mihi ſunt fratres (& longa ætate ſuperſint)
Pieridum caſto nomina nota choro.
Quorum (*a*) alius medicæ ſuccenſos artis amore
Edocet, humano in corpore quid lateat.

Egre-

Egregiis (*b*) alter lucem ſcriptoribus adfert,
Et duraturum ſedulus urget opus.
Tertius (*c*) ad dominæ conceſſit mœnia Romæ,
Scrutatur Latii qui monumenta ſoli.
Tres pariter nobis tribuit fortuna ſorores,
Pectora ſacratis addita virginibus.
His fruar, & ſemper poſſim concordibus uti:
Hos molli excipiat cana ſenecta ſinu.
Præcipue ſeros conjux mihi vivat in annos,
Quam mihi felici fœdere junxit Hymen:
Inclyta quam docti produxit terra Catulli
Inſignem ſanctæ laude pudicitiæ.
Hæc ubi complerit formoſa prole penates,
Annoſi tumulo contegat oſſa viri.
Et pro me, noſtros curet, foveatque libellos;
Quæ manet extremos gloria poſt cineres.
At tibi qui primas roſeus conſuevit ad ædes
Colla puer brevibus nectere brachiolis;
Floreat, & ſenſim patrias adoleſcat in artes,
Ingenioque ſuum tollat ad aſtra genus.
Non hæc immemores diſcerpent vota procellæ,
Si quis apud ſuperos eſt pietatis honos.

(*a*) JOANNES BAPTISTA VULPIUS, in Gymnaſio Patavino Anatomes Publicus Profeſſor.
(*b*) CAJETANUS VULPIUS, Sacerdos; qui mecum optimos libros illuſtrat, ac Typographiæ Cominianæ excudendos præbet.
(*c*) JOSEPHUS VULPIUS, Soc. Jeſu; qui Romæ, juſſu PETRI MARCELLINI CORRADINI S. R. E. Cardinalis, Latii Profani, & Sacri antiquitates perſequitur.

ELEGIA IX.

AD VIRUM ERUDITISSIMUM,

& de Italorum ingeniis præclare meritum,

APOSTOLUM ZENUM,

CAROLI VI. CAESARIS HISTORICUM, ET POETAM.

CANDIDA fatales nerunt tibi fila sorores,
Augusto propius cui licet ore frui:
ZENE, Palatinus cui fingit carmen Apollo,
Sufficit & dignos CAESARIS aure sonos.
Quem sæpe admittit victricis ad oscula dextræ
CAROLUS, & sacro detinet alloquio.
Hic te divitiis auget cumulatque merentem,
Effundens pleno munera larga sinu.
Qualia in antiquum legimus collata Maronem,
Dum caneret forti bella, virosque tuba.
Nec se materiem numeris gravioribus aptam
Denegat. hinc Musæ fama petenda tuæ est.
Aspice, confusæ quot volvat stragis acervos
Discolor Odrysio sanguine Danubius:
Et quæ sparsa jacent vultu metuenda minaci
Corpora securæ limine Pannoniæ.
Qui sibi vesana fingebant mente triumphos,
Ecce gerunt capti ferrea vincla duces:
Taurunique dolent excindi mœnia bello,
Et vetera hostili signa refixa manu.

Par-

Parte alia Threſſæ ſumunt lugubria matres,
Accuſatque ſuos barbara turba deos:
De gnatis & conjugibus, quorum oſſa reliquit
EUGENIUS rabidis diripienda feris.
Hic domibus flammam prohibet, templiſque ruinam:
Hic vacuos tanto nos jubet eſſe metu.
Dignus, Romanas aquilas cui credere CAESAR,
Germanæque velit robora militiæ.
Dignus, Tarpejas poſtquam conſcenderit arces,
Vicinus poni, Scipio magne, tibi.
Interdum tamen Aonia ſpatiatur in umbra,
Et facilis miti carmina fronte probat.
Impiger ut quondam fidibus gaudebat Achilles,
Hectora pernici quum laceraſſet equo.
Delius ut, ſtrato certis Pythone ſagittis,
Ad teneros flexit mollia membra choros.
Hunc tu ſi celebres, vetus iraſcetur Homerus,
Namque argumenti pondere victus erit.
An te forte piget populos narrare ſubactos?
Horrida vel paribus dicere caſtra modis?
Laudibus ornetur pulcherrima CAESARIS Uxor,
Excelſo Mulier tam bene juncta Viro.
Quæ quoties Indis crines radiata pyropis,
Felici plantam protulit e thalamo;
Omnia purpureo circum loca lumine veſtit,
Diffunditque omni pectore lætitiam.
Qualis verticibus Juno ſtellantis Olympi
Per medios tranſit maxima cælicolas.

Hanc

Hanc ſpectat canos Cybele turrita capillos,
Maternoque fovet gaudia juſta ſinu.
At fragilem ſapiens formam contemnit ELISA:
Aeternis animi ducitur illa bonis.
Fortunæque ſuæ luxum virtutis habenis
Temperat: & ſuperos relligioſa colit.
Dii vos, aſſidua quorum prece templa fatigat,
Adnuite; orantis ne pia vota cadant.
Et facite, ut Puero ſolari læta Maritum
Poſſit; qui celebris nomina reddat Avi.
Imperioque olim Byzantia regna paterno
Addat: fœdifragos & premat uſque Getas.
Tu carmen ſollemne para, quod proxima cunis
Aurea floridulo concinat ore Venus.
Interea, tibi dant curſus dum fata ſecundos,
Et bona te placido provehit aura mari;
Parvus ego adſuevi, populi ut commercia vitem,
Me totum in dulces abdere litterulas.
Nunc juvat Auſonii ſcrutari ænigmata juris;
Et quæ bis ſenis condita ſunt tabulis.
Nunc vigili ſtudio rerum perquirere cauſſas,
Impetus & ſtabili qui rotet aſtra vice:
Nonnumquam doctas inter ceſſare puellas,
Fertur Mnemoſyne quas peperiſſe Jovi.
Sæpe etiam, PATAVI cælo qui mœnia tollunt,
Miramur claros conſulimuſque viros.
MORGAGNUM in primis, firmo tibi fœdere vinctum;
Unde venit LIVI gloria tanta FORO.

Hic

Hic ſibi ſollerti conſcripta volumina cura
Miſit ad Eoos, miſit ad Heſperios.
Corporis humani cæcas tentare latebras
Auſus, & ignotas ante docere vias.
Hunc, quoties animum noſtras appellit ad artes,
Nutritum Suadæ dixeris in gremio.
Et legimus cultos GALEARDI ſæpe libellos,
Quo retinet dotes BRIXIA cive ſuas.
Per quem deterſo fulget GAUDENTIUS ore,
Ne pereat longo pagina ſacra ſitu.
Volvimus & quas Hadriaca nunc digerit urbe
Ille tuus varias Frater EPHEMERIDAS.
At tu CAESAREA me proſpice mitis ab aula,
Calcar & ingenio, qua potes, adde meo.
COLLALTUM que roga, noſtris ut præbeat aurem
Luſibus: Etruſcæ ſpemque decuſque lyræ.
Hic etenim profugas cœpit revocare Camœnas,
Neglectiſque pius vatibus ultor adeſt.
Illa nempe ſibi famam virtute meretur,
Qua petiit quondam ſidera Tuſcus Eques.

ELE-

ELEGIA X.

AD ANTONIUM ZENUM, SACRAE THEOLOGIAE DOCTOREM, *avunculum suum carissimum.*

TE quoque debuerant, nostræ germane parentis,
Ore pio graciles dicere Pierides.
Tu me plus oculis puerum consuetus amare:
Magna tibi semper, primaque cura fui.
Et tua sunt merito superis audita benignis
Fervida pro nostræ vota salute domus.
Hos etenim candor, purique a crimine mores,
Assiduæque valent conciliare preces:
Nec minus erroris nullo corrupta veneno
Carmina; cælestis quæ tibi dictat Amor.
O felix, rutilum cui præ virtutibus aurum
Sordet: qui parvo sub lare lætus agis!
Cui dant unanimes inter florere sodales
Innocuæ Charites, & sine felle joci.
Vive diu; sed quum terreno a carcere liber,
Lucida veloci presseris astra pede;
Collocet insigni te sede PUERPERA VIRGO,
Eximia VIRGO quam pietate colis.
Aeternumque soror, violis ornata, rosisque,
Adsideat; subito heu funere rapta tibi.

JO.

JOANNIS ANTONII VULPII
CARMINUM
LIBER TERTIUS.

I.
LAUDES DIVI RAINERII, PISARUM PATRONI.

QVAE, virgineo cœtu ſejuncta ſororum,
Caſtalium nemus, & gelidi juga frondea Pindi
Linquere amas, rapidoque olim ſubvecta volatu,
Aërios ventos, atque ardua nubila tranas,
Uranie; cui Pieridum rex Juppiter uni
Aeternos aſtrorum ignes, ſedeſque beatas
Inſpectare dedit propius, cæloque decorum
Immiſcere caput; noſtras age, diva, medullas
Adflatu pervade tuo. non triſtia bella,
Non domitas gentes, aut fractis oppida portis,
Non juvenum contra luſus, dulceſve hymenæos

Commemorare juvat: mortales temnere fines
Aggredior, vatumque vias tentare piorum.
Tu mihi diva animos, celeres tu ſuffice pennas,
Inſolitam cæli faciem, atque ignota paventi
Sidera; ut optata conſidam victor in arce.
Sacra iterum antiquæ celebrant trieterica Piſæ,
Piſæ, quas felix undis interluit Arnus,
Tyrrheni ſalis immenſum declivis in æquor.
Huc omnis propero confert ſe Etruria greſſu,
Relligione calens, ſtudioque excita videndi,
Matres atque viri, & comitum longiſſimus ordo.
Nimirum hic formoſæ urbis tutela, ſaluſque,
Vota libens, miſeraſque preces RAINERIUS audit,
Marmoreo lætus templo, & fumantibus aris;
Heros indigena, & ſuperi vetus incola regni.
Quem rebus quondam patriæ florentibus, hoſte
Jam pulſo, & populis circum ditione ſubactis,
Nobilis egregio peperit Spingarda marito.
Quid loquar, ut claro fidentem ſanguine avorum,
Elatumque opibus (namque hæc certiſſima peſtis)
Paullatim blandus vitæ deflexerit error;
Impuleritque, rudi Sirenum litora puppe
Audacem, vetitaſque bonis contingere terras?
Heu quæ ventorum rabies, quæve aſpera cæco
Merſit hiems pelago juvenem! quibus ille periclis
Jactatus! quibus in ſcopulis, & ſyrtibus hæſit!
Quum ſubito erranti, per noctem candida fulſit
Lux oriens; qua nempe deûm pater, atq; hominum rex

Di-

Dimovet obſeſſis ignavas mentibus umbras,
Accenditque animos pulchro virtutis amore.
Extemplo converſæ auræ, placataque ſævi
Ira maris: tum e naufragio ſervata carina
Arripuitque fugam, & portu ſucceſſit amico.
Talis cum primo figentem in litore plantas
Excipit ALBERTUS, quem protulit aſpera CYRNOS,
Vir pietate potens, cultorque acerrimus æqui;
Qualis Cecropio juveni Minoïa quondam
Dum calet, ac flavo ſuſpirat in hoſpite virgo,
Fila dedit relegenda manu, quibus omne recluſum
Tecti iter ambigui; monſtrataque janua rurſum,
Ah toties fuſo miſerorum tincta cruore.
Principium hinc magnis virtutibus: hinc nova rerum
Se ſe aperit ſeries. pudet heu maleſana ſecutum
Somnia; præteritoſque dolet, quos perdidit, annos.
Conſcia mens culpæ, ſtimulis & verbere ſævit.
Illum, purpureæ poſito fulgore juventæ,
Expertem frugum Cereris, laticumque Lyæi,
Uberibus lacrimis manantem, & pectore ab imo
Rumpentem queſtus, ac ſe peccaſſe fatentem,
Vidit, quum pelago radiantia tolleret ora,
Occiduas vidit Phœbus devexus in undas,
Viderunt mediæ tranquilla ſilentia noctis.
Liquitur, ut verno contactæ ſole pruinæ,
Aut nix, quæ tepido ſenſim tabeſcit ab Auſtro.
Tandem exhauſta, gravi caligine lumina torpent;

Nec potis eſt ullos rerum noviſſe colores.
In tenebris jacet; ac ſingultibus omnia complet.
Quid tibi tunc animi, mater miſeranda, fuiſſe,
Quid, genitor, tibi, care, putem? quum victa dolore,
Capta oculis, vultum fletu perfunderet, ac ſe
Complexu veſtro ſubduceret unica proles?
Incipit ille patris luctu, matriſque moveri,
Et regem celſi ſupplex veneratur Olympi,
Amiſſos reddat viſus, & flamine ſancto
Deleat antiquæ placidus veſtigia noxæ.
Tertia nocturnos Aurora fugaverat ignes;
Annuit Omnipotens, mundum qui numine torquet,
Diſcuſſæque oculis nebulæ, & lux reddita prima eſt.
Quin etiam tenues cælo demiſſa per auras
Vox audita viro: Lacrimarum deſine tandem,
Pone metum, vimque immodici compeſce doloris:
Nulla tibi æternas intentant crimina pœnas,
Impreſſum ſcelus eluitur: redit aurea caſti
Libertas animi, & vinclis potes ire ſolutis.
Ille Dei tanto firmatus pignore mentem,
Lætitia exſultat: ſed enim nova pectore verſat
Conſilia, extorrem patria, rerum omnium egenum,
Solem, imbremque pati, & ſacratas quærere terras,
Jordanes ubi rura ſecat, Libanuſque ſuperbum
Oſtentat caput, & nutantes vertice cedros
Suſtinet: hic magnorum operum monumenta ſuperſunt,
Queis, hominum generi certa impendente ruina,

Par-

Parta ſalus, turpi quum ſcilicet in trabe fixus,
Terribile excuſſit Genitori fulmen, & iras
Comminuit Natus, manſuraque ſanguine ſanxit
Fœdera, pacem orans. Ergo altis mœnibus exit,
Ac vix alloquio flentes dignatur amicos.
Juſſa vocant ſuperûm; nec fas obſiſtere contra.
Ecce autem rutilam volucrum regina per æthram
Viſa tenere facem roſtro, atque ingentibus alis
Inſuetas monſtrare vias. ille omine lætus,
Hac duce fert alacris terræque, mariſque labores;
Et ſemper gelido lucos Aquilone ſonantes
Ingreditur: monteſque feros, & inhoſpita ſaxa
Adſcenſu ſuperat. non illum barbara cultu
Gens terret, grandeſque lupi, fulvique leones:
Donec ſperatas acceſſit feſſus ad oras.
Illic cæleſtis miſerantem incommoda regis,
Plurima quæ paſſus, dum triſtia Tartara bello
Subrueret, partoque iret ſublimis honore,
Septima vidit hiems: illic, lucentibus aſtris,
Multa gemens, dulcemque oculis, & pectore ſomnum
Excludens, veræ pro relligionis alumnis,
Quoſcumque arvorum donis, atque ubere glæbæ
Nutrit Terra parens, Nereuſque amplectitur undis,
Orabat facilem votis, precibuſque faventem
Regnatorem orbis. tum magno incenſus amore,
Luſtrabat ſacri veſtigia quæque cruoris,
In partes animum varias, & ſingula verſans.
Hic turpes ignominias, dirumque videnti

Exi-

Exitium CHRISTO (vos horti & gramina teſtes)
Sanguineus toto manavit corpore ſudor:
Parte alia ſævis liventia terga flagellis
Præbuerat, lapidi innitens: hic ſpinea texit
Inſontem galea, & jaculis confixit acutis.
Hac tulerat greſſum ad ſterilis faſtigia montis
Impoſita cruce: ſollemnes ubi cæſus ad aras,
Supplicia, heu, ſceleri fuerant quæ debita noſtro,
Morte luit; ſubitis quum ſol expalluit umbris,
Et ferrugineo vultum velavit amictu.
Hæc memorans, caſuque animum concuſſus acerbo,
Dat gemitum, preſſoque ſilet RAINERIUS ore.
Illo forte loco ſteterat, quo candida primum
Pectora, parque ebori latus, exutoſque lacertos,
Militibus duris, ad clari lumina cæli,
Oſtendit magno Proles æquæva Parenti:
Continuo molles, divina exempla ſecutus,
Rejicit ex humeris veſtes, villiſque rigentem
Induitur lacrimans tunicam, argumenta doloris,
Spartea quam vili ſuccingit fibula nodo.
Nec non aſſuetas epulas, & munera Bacchi
Reſpuit, æterno certus parere magiſtro;
Inque quaterdenas profert jejunia luces.
Venerat ad colles, quibus olim virgine cretus
Arcanas Genitoris opes, mentiſque beatæ
Gaudia, mortalem promſit fallentia ſenſum:
En iterum Deus ille, Deus; cui nube ſedenti
Palla imos tegit alba pedes, facieque coruſci

Ex-

Exſiſtunt radii: dextra, lævaque ſeniles
Apparent vultus; hinc pace inſignis, & armis
Legifer, inſanos potuit qui ſpernere fluctus,
Dum fugeret Pharii crudelia ſceptra tyranni:
Illinc, flammato qui raptus in æthera curſu,
Juſtitiæ vindex, ſcelerumque aſperrimus oſor.
An referam, ut Grajæ, Syriæque elementa loquelæ,
Ignotos ritus, & verba ignota precantum,
Ipſe Italus, nulla doctus perceperit arte,
Attigerat quoties ſacrati limina templi?
Sed patriam antiquam, dulceſque reviſere terras
Tempus adeſt: præit auratis Laus candida pennis.
Omnis in occurſum portis effuſa juventus,
Adventante viro: faciles mirantur amictus,
Dejectos oculos, & plenos numine vultus.
Triginta magnos Titan impleverat orbes,
Treſque ſuper flavæ curvarant horrea meſſes,
Ex quo vitales primum RAINERIUS auras
Duxerat: hic illum florentem ingentibus actis,
Et veteres mira morbos virtute fugantem
Aſtra vocant, ſuperique exſpectant præmia regni.
Forte dies aderat, quam fallax ritus avorum
Sacrarat Veneri Idaliæ, propriamque dicarat:
Nunc memor humana pro libertate peremti
Nobis facta Dei, triſtem ſub pectore curam
Suſcitat, & diræ ſuadet miſereſcere cædis:
Hac ille ingrati contagia corporis ultro
Indignatus, obît; vi magni victus amoris;

Ful-

Fulgidaque ardenti veſtigia fixit Olympo,
Civibus ah deſiderium, luctumque relinquens.
At ſacer in tenues dum ſpiritus emicat auras,
(Horreſco referens) totam concuſſa per urbem
Sponte ſua celſis ſonuerunt turribus æra.
Felix, o nimium felix, qui nempe beatas
Vectus es in ſedes, & veſceris æthere puro!
Sis bonus, atque tuas cælo tamen aſpice Piſas,
Quæ tibi ſollemnes deducunt undique pompas,
Feſtaque purpureis cingunt altaria vittis.
En fora, templa, viæ celebres, en atria cereis
Collucent facibus: laudes tibi quilibet ordo,
Auratæque canit fulgens in veſte ſacerdos.
Tu mæſtas oculis lacrimas, tu peſſima pellis
Agmina morborum, caris tu matribus ægros
Reſtituis natos: te ſentit nubilus Auſter
Nimborum late, tempeſtatumque potentem.
Nam quoties ruptis exundant flumina frenis,
Turbidus & cœno gurges per pinguia fertur
Arva furens, merſiſque ſeges procumbit ariſtis;
Flent miſeri agricolæ, & palmas ad ſidera tollunt,
Teque in vota vocant: tum vero ſpumeus amnis
Decedens campis, noto ſe condit in alveo:
Palantes Aquilo nubes agit: ore nitenti
Nocturnas urget per ſudum Cynthia bigas.
At rurſum arenti Procyon quum ſidere ſævit,
Quum ſitiunt herbæ, & rimis tota arva fatiſcunt;
Tu rorem optatum mittis, quo languida paſſim
Ger-

Germina, pallenteſque novantur in arbore frondes.
Jamque adeo, ſi noſtra tuas dicentia laudes
Carmina, ſi ulla movet tantarum gloria rerum,
Sancte, fave, Muſamque humilis ne deſpice vatis;
Exiguis qui te donis, & paupere cultu
Proſequitur, ſupplexque tuos inſtaurat honores
Medoaci ad ripas; ubi felix prole virorum
BUZZACARENA domus, Piſæis finibus orta,
Floret adhuc, palmas & vincere tendit avitas;
Qua de ſtirpe olim tibi contigit optima mater.

II.

Epithalamium

IN NUPTIAS FRANCISCI, MUTINAE PRINCIPIS, ET CARLOTTAE AGLAES BORBONIAE, PHILIPPI DUCIS AURELIANENSIS FILIAE.

HUMIDA Nox, tacitis paullatim evecta quadrigis,
Ad medium ſummi ſpatium pervenit Olympi;
Quam chorus Aſtrorum ſequitur laſcivus, & ante
Inter mille Jocos, & nudos inter Amores
Filius Uraniæ graditur, cui fervida ſemper
Vota puellarum, & juvenum ſuſpiria cordi;
Pulcher, amaracino religatus flore capillos,
Et croceo indutus veſtigia candida ſocco.
Cernitis, ut tenera, lætum nubentibus omen,
Accenſæ dextra quatiat ramalia pinus:

Et pede felici labens, auctoribus & diis,
Regifico luxu ornatas descendat in ædes?
Qualis quum subito clarum per nubila fulgur
Emicuit, vel post nimios quum discolor imbres
Oppositus Phœbi radiis apparuit arcus?
Jam thiasis, epulisque modus: jam fessa quierunt
Murmura plaudentum: jam tibia garrula cessat,
Aurea nec pulsis reboant laquearia chordis.
Marcentes oculos invadit somnus: & ipsi
Languidulo segnes connivent lumine lychni.
At vigil interea tardis irascitur horis,
Pectore vulnus alens, & cæco absumitur igni
ACTIACUS juvenis, nostri spes maxima sæcli,
Heroum prisca deductus origine sanguis.
Lenta nec ingratæ declinat colla quieti
Regia virgo, genas casto suffusa pudore,
In thalamos cupidi virgo ventura mariti.
Par bene compositum, superis dilecta propago,
Tali nupta viro, & tanta vir conjuge felix,
Pellite sollicitas toto de pectore curas:
Advenit certo fatorum percita cursu,
Quam sæpe optastis votis communibus, hora:
Advenit qui pacta deus connubia firmet,
Quique olim forti faciat vos prole parentes.
Dicite Hymen, juvenes; clamate Hymenæe, puellæ.
Quod ni certa deûm vates oracula fallunt,
Candida ter decies quum Luna coegerit orbem,
Parvulus ingenti ludet RAINALDUS in aula,

Et

Et ridebit avo, teneriſque amplexus, & hærens
Brachiolis, caræ procumbet in oſcula matris.
Tum puero ſuaves adflans Cytherea lepores,
Non ſine jucundo motabit carmine cunas:
Lacrimulaſque pia deterget Gratia dextra.
Dicite Hymen, juvenes; clamate Hymenæe, puellæ.
Deinde ubi firmatis poterit conſiſtere plantis,
Dulciaque inſueto jam finget verba palato,
Qualia magnarum virtutum ſemina prodet!
Quale dabit ſpecimen, quæ pignora laudis avitæ!
Ut genitor gaudebit! ut urbs lætabitur ipſa!
Ut ſibi tum Auſonia antiquos promittet honores!
Non aliter, cinctum violis quum ver caput effert,
Ac primum gravido turgent in palmite gemmæ,
Autumnum, & madidi proſpectant munera Bacchi
Agricolæ, atque hilari præcerpunt mente racemos.
Dicite Hymen, juvenes; clamate Hymeneæ, puellæ.
At ſimul incipiet molli pubeſcere veſte,
Formoſoque novæ creſcent cum corpore vires,
Non illum ignavo corrumpent otia cultu
Vitantem ſoles, & aperti frigora campi:
Sed ſpumantis equi validos conſcendet in armos,
Efficietque manu docilem, mirante magiſtro:
Qualis Pellæi ſoboles præclara Philippi,
Cui quondam immenſus vincenti defuit orbis.
Aut jaculum torquens, & acutæ cuſpidis haſtam,
Intrabit ſilvas, latebroſaque luſtra ferarum,
Et vehet optatam fero ſub veſpere prædam.

O quoties illum per devia rura ſecutæ
Naïdes aſpicient pulchro ſudore madentem,
Et pulchro flavos reſperſum pulvere crines!
Aſpicient, cupientque ſuis refovere lacertis,
Collectamque ſitim porrecta exſtinguere lympha.
Dicite Hymen, juvenes; clamate Hymenæe, puellæ.
Sæpe etiam dulci Muſarum tactus amore,
Phœbea inviſet nigrantes arbore colles,
Proluet ac roſeum Libethri fonte labellum.
Tum veterum relegens inſignia facta virorum,
Romanæ amiſſos flebit virtutis honores,
Quos tandem (heu facinus!) delevit longa vetuſtas:
Seque datum terris agnoſcet numine divûm,
Qui ſolus Latias poſſit ſarcire ruinas.
Dicite Hymen, juvenes; clamate Hymenæe, puellæ.
Quid memorem, ſtricto quot barbara demetet enſe
Colla virûm, criſtis, & ferri luce coruſcus?
Quot conſternatos Thracum calcabit acervos?
Non aliter medio in pelago, ſtridente procella,
Ah miſeros nautas nimboſus terret Orion.
Quid memorem, cæſo quantos aget hoſte triumphos,
Quanta foro ſtatuet, populo plaudente, tropæa?
Dicite Hymen, juvenes; clamate Hymenæe, puellæ.
Poſſem alios vobis motus aperire futuros,
Tali nupta viro, & tanta vir conjuge felix,
Quos mihi fatidico cecinerunt omine Parcæ:
Atque aliam certo venturam tempore prolem,

Quæ

Quæ ſtudiis referat, non vultu, aut nomine tantum,
Hippolytos, Borsosque, & maternos Lodovicos:
Ni vos alma Venus, genialiſque aurea lecti
Fulcra vocent: ſcelus eſt jam gaudia veſtra morari.
At tu ne zonæ damnum leve, virgo, ſolutæ
Flere velis, lacrimiſque oculos turbare nitentes:
Audiſti quæ pulchra manent te præmia matrem?
Quæ ſuperi poſita pro virginitate rependent?
Tempus abire mihi eſt: ſignum dat pronuba Juno:
Purpureus caſtos excepit lectus amantes.
Ite procul, juvenes; tacitæ ſimul ite, puellæ.

III.

CHARIDEMUS. Ecloga.

Chromis, *Neæra*.

QUo properas, dejecta oculos, turbata capillum,
Agrorum decus, & nemorum, formoſa Neæra?
Quid teneros oblita choros, dum cetera pubes
Mollia veloci ludit per gramina ſaltu,
Aut violas legit, & Nymphas de more coronat,
Tu latere incautæ furtim digreſſa parentis,
Avia luſtra petis? nec te decedere ſilvis
Heſperus, & gelida præceps Nox admonet umbra;
Sed flere, ac nimio juvat indulgere dolori?
Ne cela ne, virgo, ſenem, quæ cauſſa ſerenos
Mu-

Mutarit vultus; namque eſt mihi cura mederi.
Nea. O Chromi, paſtores quo poſſint frangere pacto
Vim pueri, quem flava Ceres, quem pulcher Apollo,
Lenæuſque pavent, &, quæ dedit ubera, mater?
Hic homines domat, hic ſuperos: nec vulnus Amoris
Ullæ umquam ſanant herbæ, vel pocula Circes:
Arreptoque lupum citius depellere ab agno,
Quam valeas fixis educere tela medullis.
Aërios igitur per montes, noſtra dolentis
Carmina, ſeptena dum fallit arundine curas,
Pan vagus excipiat; veteriſque haud immemor ignis,
Abdita deſertis in rupibus audiat Echo.
Me ſine virgineum, paſtor, ſervare pudorem,
Et male conceptas aluiſſe in pectore flammas.
Chr. Quæ vos exagitat veſania tanta, puellæ?
Unde gravis Pudor hic, placidi corruptor Amoris?
Certe illum obſcuris Erebi truculenta ſub antris
Tiſiphone peperit, pavitque Megæra veneno.
Ut lolium ſegeti, vernis ut floribus Auſter,
Vitibus ut grando, teneris ut ſtirpibus hædi,
Paſſeribus laquei, torrenti Sirius amni,
Sic pudor exitio eſt Veneri, Veneriſque miniſtro.
Humanos tantum ſenſus pervertere peſtis
Hæc potuit: parcit pecori, generique ferarum.
Quum deſiderio nivei commota juvenci,
Mugit amabiliter per opacas bucula valles,
Ipſe palam taurus cupidæ reſpondet amicæ,
Occurritque celer, nec mutua gaudia differt.

Par-

Parte alia exſultans viridi laſcivus in herba
Hinnit equus, aperitque ſuos hinnitibus ignes:
Excutienſque jubas, calces jacit, & tremit artus;
Nec ſibi difficiles umquam ſuſpirat amores.
Ecce Dionææ commiſcent roſtra columbæ,
Blandaque mentito decerpunt oſcula morſu:
Ecce levi feno, vel molli ſtramine fulta,
Succumbit rutilo facilis gallina marito.
Tum variæ paſſim volucres, quas alma voluptas
Invitat, liquidum concentibus aera complent;
Et ſociis flammas, & dulcia vulnera faſſæ,
Suſpendunt caros e qualibet arbore nidos.
Scilicet has nullus pudor impedit. o bona virgo,
Pelle metus: animum non hæc exempla movebunt?
Nea. Egregios narras morum, vitæque magiſtros,
Quadrupedes, & aves. Tu me genitoribus ortam
Talibus, Alcinoe caſta, fortique Lycota,
Finitimi quibus adſurgit vicinia ruris,
Vis olidæ fieri ſimilem, turpiſque juvencæ?
Nec te, crede, meos decet incendiſſe furores
Promiſſa vetulum barba, canoque capillo.
Chr. O nimium ſapiens, ne dicam ferrea! neſcis,
Neſcis, quid ſit Amor; vel candida pectora certe
Perſtrinxit ſumma leviter deus ille ſagitta;
Si, quid meſſores de te, quid curvus arator
Garriat, aut noctu carpentes penſa puellæ,
Sollicito reputas animo. contemnite, amantes,
Rumores vacuos, & inanis murmura linguæ:

Et

Et quiſquis petulans aliena negotia curat,
Iratam Venerem, iratum experiatur Amorem.
Me plures hiemes, virgo, fecere peritum,
Humanæ memorem ſortis, mitemque, bonumque;
Qualis in apricis miteſcit collibus uva,
Aſſiduo longi ſolis percocta calore.
Atque utinam leveſque genæ, fronſque illa rediret
Expers rugarum, & patientia crura laboris:
Quæ mihi perpetuis ageretur luſibus ætas!
Non tantum pecudes, non ſola armenta videbis
Concipere hunc ignem, & laqueo circumdare collum,
Quorum turpe putas imitari facta puellam:
Ipſe deûm genitor, tonitru qui terret Olympum,
Cogitur ardeſcens invicta Cupidinis arma
Sentire, inque humiles cælo deſcendere terras,
Vel tauro latitans, vel plumis alitis albæ.
Deſine diſſimulare; tenes namque omnia; nec te
Ulla fugit, ſuperûm quæ fabula narret amores.
Nuper enim viridis poſitam te margine ripæ,
Audivi celeres mulcentem carmine ventos,
Argutaſque imo promentem corde querelas:
Me procul in denſis ſeges occultabat ariſtis.
O tibi ſi dulces libeat renovare, Neæra,
Dulci voce modos! tanto nil munere nobis
Majus erit. non ſic morituri carmen oloris,
Non ſcelus Odryſii plorans philomela tyranni
Vere juvat, noſtras ut vox tua pellicit aures.

Jam

Jam lenes numeri, & fletum ſuadentia verba
Exciderunt animo: nocet huic odioſa ſenectus.
Sic tibi, virgo, frui placito contingat ephœbo,
Ne noſtras contemne preces, votiſque faveto.
Nea. Quid faciã infelix? durum eſt tua ſpernere juſſa,
Care Chromi. quamvis magno intercluſa dolore
Vox perit, & cœptos rumpunt ſuſpiria queſtus,
Conabor tamen, & fido mea vulnera teſti
Exponam; quando ipſa jubet Fortuna, ſoletque
Interdum fieri cantando mitior ignis.
Hic ubi ramoſis latiſſima quercubus umbra
Decidit, arboreo vitemus tegmine ſolem,
Et feſſum teneras latus acclinemus ad herbas.
Anchiſen Venus, aut Cyprium ſectatur Adonin;
Flava Ceres calet Iaſio, Endymione Diana;
Najadas urit Hylas, Galateam candidus Acis;
Blanda fovet Cephalum roſeis Aurora lacertis;
Formoſa Herculeis gaudet complexibus Hebe:
Et mihi, pace, deæ, veſtra, licet eſſe beatæ,
Si modo me lætis videat Charidemus ocellis.
Obtulit hunc nobis invicti mater Amoris
Ducentem ſimas in paſcua mane capellas:
Obtulit; & ſubito furor, heu, deſcendit ad oſſa.
Qui nitido color in vultu! quæ gratia puræ
Frontis erat! quantas fundebant lumina flammas!
Mollia puniceis certabant labra roſetis:
Ludebantque levis disjecti flatibus auræ
Colla per intonſi nive candidiora capilli.

Ex illo vigil hibernas producere noctes,
Heu, didici, largoque oculos corrumpere fletu;
Luteus & mæsto consedit pallor in ore:
Ex illo neque consuetos accedere fontes,
Visuram faciles, & dignos virgine cultus,
Nec lapsas formare comas, nec carpere flores
Cura mihi: sordent artes, choreæque, jocique,
Me miseram, & graciles ignis depascitur artus.
Ah quoties, dilecta parens dum quæreret, unde
Triste malum hoc, quod me jucundo in limine vitæ
Ureret, ac toto pepulisset gaudia vultu,
Sum caussata gravem lateris, capitisve dolorem!
Ah quoties lacrimas deprendit sedula nostras
Thestylis, & dixit, Misero tabescis amore!
Protinus erubui, nec sum tamen ausa fateri.
Cor salit, & celeres trepidant in corpore venæ,
Hæret lingua metu, caligine lumina torpent,
Membraque frigidulo sensim sudore madescunt,
Si tenues pueri voces, & sibila nota
Me feriant: quid, si optati lux fulgeat oris?
Tunc mihi visceribus concrescit sanguis in imis.
Sæpe illum extremo linquentem pascua sole
Et malo petii, & risu lasciva procaci:
Ille verecundos gremio demisit ocellos
Præteriens, nec me verbo dignatus amico est.
O dulcis Charideme; vagus tu collibus erras,
Aut texis caveas, & vimineos calathiscos,
Fessaque in herboso componis membra cubili,

Dum

Dum thyma paſcentes tondent, cythiſumque capellæ:
Cura nec interea miſeræ ſubit ulla Neæræ.
Sæpe etiam rigidis horrentia vepribus audax
Diceris umbroſi ſuperare cacumina montis:
Ah ne te duri ſentes, neve aſpera lædat
Glæba pedes: Veneri non impia ſilva pepercit,
Et roſa tam pulchro paſſa eſt ſe ſanguine tingi.
O mihi, care puer, liceat compellere tecum
Diſperſos per prata greges, tecumque ſub ulmo
Projectam, docto calamos inflare labello!
Multa recenſerem cantu tibi furta deorum,
Ut nemorum latebras fugeres, atque abdita luſtra.
Tum canerem liquidi pendentem e margine fontis
Narciſſum, gelida quum ſe miſer arſit in unda:
Ut fruſtra incumbens labiis, & brachia tendens,
Perderet amplexum, & vanæ daret oſcula formæ.
Ah, ne te ſimilis tangat, Charideme, cupido,
I procul a ripis. formoſos faſcinat amnis.
Sed quoniam ludunt me ſomnia, nec mihi furvæ
Nebant naſcenti tam candida fila ſorores,
Litus aro, Zephyris & retia tendere pergo.
Non audit Charidemus: habet rude pectus amorum.
Eheu quid ſupereſt miſeræ mihi? ſcilicet alto
Vertice de montis præceps dare corpus in æquor.
Vivite vos fontes, & flumina; vivite fagi:
Aeternum ſegetes, æternum rura valete.
Tota mihi certum eſt potare oblivia Lethes,
Si delere queant noſtros epota furores.

Chr. Quas tibi pro tali perſolvam carmine grates,
O virgo, Aonias inter numeranda puellas?
Paullatim ferus ille puer manſueſcere diſcet;
Ne dubita: validas & nos adhibebimus artes;
Conſilioque ſenex pugnabit, amore Neæra.
Spes animum firmet; ſperandum eſt omnia vivis:
Deſperet quiſquis nebuloſo merſus Averno eſt.
Aſpice, nunc pluvios inducit Juppiter Auſtros,
Mox abigit cælo nubes, mundumque ſerenat.

IIII.

Orator bonus in cauſſa mala.

POSTQUAM deorum cœpit expulſo metu
Aetas rigere ferrea:
Flevitque Pietas, immerentis hoſpitis
Cruore tingi limina,
Paſſimque civium inſepulta per vias
Feris relinqui corpora:
Carique fratris frater (o dirum ſcelus!)
Admovit enſem gutturi;
Neglecta Virtus fugit ad ſolium Jovis,
Nec ſe videndam præbuit.
Vix nunc ſuprema conſpici veſtigia
Dolemus almæ virginis.
Novere pauci, priſca quid jubeat Fides,
Quid nuda mandet Veritas.
Errat ſuperbum jure contemto nefas,
Legeſque in occulto ſilent.

Quod

Quod si dolosi spes refulgeat lucri,
Quidvis egestas imperat.
Corrupta luxu liberi Cupidinis
Turpis juventus æstuat.
Nec segniores pruriunt, quibus prope est
Exacta vitæ fabula.
At quum sceleſtos esse, plurimos juvet,
(Tanta est voluptas criminum)
Decora fontes præferunt cognomina,
Et umbra virtutis placet.
Ut sæpe solidum, ligna quæ tegit, levis
Mentitur aurum bractea.
His artibus si accedat orator catus,
Permutat atris candida.
Ornatque miris laudibus dignos cruce,
Versatque lingua judicem.
Ait, Cethegos innocentes vivere,
Et patriæ amantissimos.
Apicioque, quidquid invidi fremant,
Frugaliorem neminem.
Quod est, id esse pernegat: contra invenit,
Nusquam quod exstat gentium.
Et quos parato carnifex laqueo manet,
Hos eripit suspendio.
Clamat, minatur, obsecrat, jurat, monet,
Blanditur, increpat, furit.
Si forte desint verba, rem lacrimis agit,
Gestuque fletus adjuvat.

Per-

Perculſus interim, ut ſolet vento mare,
Circum popellus fluctuat.
Tollitque vocem, & plaudit oranti manu,
Gaudetque ſtultus decipi.
Minus diſerti robur apparet viri,
Ni cauſſa perditiſſima eſt.
Nam ſi vocetur ad tribunal Curius, aut
Fabricius, aut ſiccus Cato,
Quis tunc figuris uſus, aut coloribus?
Patronus eſto quilibet.
At ſi reperto lis eget mendacio,
Summus petendus artifex.
Tunc ſingularem fabricet calumniam
Demoſthenes, vel Tullius.

V.

Quum N. N. Venetæ claſſis Imperator e militia domum reverſus eſſet.

NON ſemper gelidi ripas quatit horridus Hebri
Curru ſonante Romulæ gentis pater.
Quem cruor, & fœdi morientum pulvere vultus,
Quem diſſolutis verſa muris oppida,
Perculſæque juvant acies, clamorque, minæque,
Regumque ahenis vincta nodis brachia.
Interdum properat dilectam viſere Cypron;
Ibique Nymphas inter, & molles choros

Te

Te ſolam, Cytherea, petit: tibi deditus uni
Dat ſe protervis exuendum Amoribus.
Quorum alii galeam capiti, clypeumque ſiniſtræ
Demunt, jocoſo garrientes agmine.
Pars tollunt junctis ingentem viribus haſtam,
Pars impedire floribus geſtit deum.
Ille ſatur myrrha crines, & dulce renidens
Jubet valere militarem Thraciam.
Sic te jactatum longis, dux magne, periclis,
Cui jam ſatis ſuperque partum eſt gloriæ,
Excipit alta domus feſtis ornata coronis,
Fratreſque cara civitati pectora.
Blanda Quies cupidis te tandem amplexa lacertis,
Laborioſum purpura veſtit latus.
Et ſtrepitus bellorum, & triſtes dedocet iras,
Pellitque duram fronte pervicaciam.
O igitur ſtudia, & curas oblite priores,
Gaude paratis, dux amice, honoribus.
Sat tibi ſint noctes, quas per vaga ſomnia ducas,
Viſus modo atri per profunda Nerei
Hoſtiles turbare globos: modo flectere puppes,
Lesboa qua ſe frangit unda rupibus:
Et modo præcipites fugientum urgere catervas;
Dum te revertens ponat in tuto dies.

VI.

VI.

IN FUNERE
FERDINANDI OBICII MARCHIONIS.

SI poſſent lacrimas effundere numina, quorum
Tranquillo poſita eſt alta quies animo:
Te flerent memores Prudentia, bellica Virtus,
Te Mavors, quamvis ex adamante gerat
Horrendum thoraca, & magna fulminet haſta;
Imbutus quamvis cædibus innumeris.
At parte ex alia Charites, Pietaſque, Fideſque
Flerent, ac rupta triſtis Amor pharetra.
FERDINANDUM omnes ingenti voce vocarent,
Heroem, quo non fortior, aut melior
Naſcetur nobis multis redeuntibus annis.
O Mors! Parcarum o pectora dura nimis!
Sed quoniam ſuperi non lugent quod voluere,
Debemurque atro cuncti homines Erebo,
Nos decet uberibus perfundere fletibus ora,
Spargereque immundo pulvere ſæpe caput.
Et flores, lacrimaſque ad tantum ferre ſepulcrum,
Dum Sol immenſo conditur Oceano,
Et dum Nox deprenſa a lumine matutino
Pallentes acri verbere pungit equos.
Te raptum queritur variis exercita fatis
AUSTRIA, quam juſto CAROLUS imperio
Nunc frenat poſt amiſſos fratremque, patremque:
Te paſſis etiam crinibus Italia.

Aſpi-

Aſpice, quos imo gemitus de pectore ducat
Conjux, in viduo ſola relicta toro.
Illa dolet, caro quod non eſt juncta marito,
Et nimium tardos increpat uſque dies.
Quæ tamen in terris diuturna ætate ſuperſit,
Exſtincti populos admoneatque viri.
FERDINANDE, vale, noſque aſpice lætus Olympo,
Ne pergat miſeros excruciare dolor.

VII.

AEGLES MORITURAE LAMENTA.

RESPICE deſertam, ſi mens mutabilis, Aeglen:
Saltem huc flecte avidos ad morientem oculos;
Quos equidem lætos optata morte futuros
(Dura nec heu ſævi fata Jovis prohibent!)
Auguror; o ſurdo crudelior æquore Phædon,
O ſilicum venis, o chalybe aſperior.
At quoniam Veneri certum eſt me perdere, cujus
Triſtis adhuc noſtris ara calet lacrimis:
Nec prodeſt votis numen coluiſſe deorum;
Vos, precor, eſte bonæ vos mihi Nereïdes.
Et miſerum fluctu molli propellite corpus,
Qua findit liquidas perfidus ille vias.
Candida ſic ſcopuli de verticibus præruptis
Audita eſt magnis vocibus ingemere
Deliciæ ſilvarum Aegle, dum fune ſoluto
Curreret ingratus per mare velivolum,

Neglectis precibus, scelerato pectore Phædon,
Virgineique ferens corporis exuvias.
Irrita verba levis discerpsit ventus: at illa
Subjectum saltu se dedit in pelagus.

VIII.

HELENA SENESCENS.

EUROPAE, atque Asiæ pestis, quam Troïus hospes
Abduxit casto conjugis e thalamo:
Quam propter sævis arserunt Pergama flammis,
Et penitus Priami concidit alta domus:
Ut primum in speculo spoliatam flore juventæ
Conspexit faciem, pallidulasque genas;
Illa ego sum tanto, dixit, repetita labore?
Illa ego, quam vellet detinuisse Paris?
O male consumti proceres! male perdite sanguis!
O Danai, pugnæ caussa pudenda fuit.
Quo fugit nitor, heu, solitus, Chariteque, Venusque?
Denique, formosæ quid supereſt Helenes?
Sic ait, & canos vellens a stirpe capillos
Ingemuit, raris non sine lacrimulis.

IX.

Ad fontem, ut ſibi Phyllidis imaginem referat.

O FONS, qui puros volvens e rupe liquores,
Per nemus arguto laberis uſque ſono;
Deliciæ Nympharum, & capripedum Faunorum,
Quo levat æſtivam ſæpe Diana ſitim;
Sic tibi cæleſtes defendat populus ignes,
Auraque vicinis ludat in arboribus:
Sic te nec paſtæ poſſint violare capellæ,
Ulla nec immundo vellere turbet ovis;
Blanda refer, quæſo, caræ mihi Phyllidis ora.
Illa meum ſævo torret amore jecur.
Hoc ſolet ad ſpeculum flavos diſponere crines,
Et nitidum vario cingere flore caput.
Quid precor? inſtabilem ſecum rapit unda figuram,
Torſit ut a ripis noſtra puella pedes.
At ſemel indomitis poſtquam me fixit ocellis,
Aeternum memori corde recepta manet.

X.

Epitaphium puellæ venatricis.

QUISQUIS amas, noſtrum lacrimis adſperge ſepulcrum;
Sic tibi manſueti ſint in amore Dei.
Illa ego venandi ſtudio notiſſima Thisbe,
Candida quæ placui mille puella procis;

Dum vagor, & leporem canibus, jaculoque fatigo,
Vipereo cecidi saucia dente pedem.
Hoc me compositam tumulo flevere parentes;
Hic me pastorum gens pia lacte colit.
Et Corydon, veteres cui vivunt pectore flammæ,
Alloquitur cineres, vanaque verba jacit.
Qui seros utinam possit spectare nepotes,
Pinguiaque innumero molliat arva bove.
Tu quoque, si misera turbaris clade, viator,
Aequa tuis votis numina semper habe.

XI.

In aurigam, qui Lalagen abduxerat.

DIi tibi dent noctesque malas, viduumque cubile:
Pellere glande famem, ponere fonte sitim;
Qui tecum, heu, Lalagen, scelerate auriga, tulisti.
Et frangant celeres obvia saxa rotas.
Humida palliolo siccantem lumina vidi,
Dum nos in media linqueret illa via.
Non aliter doluit pavido Proserpina vultu,
Ad Styga quum rapidis abstraheretur equis.
Clamabat frustra matrem, comitesque puellas.
Illa aberat: comites terga dedere fugæ.
Sic aquila Phrygium quondam portante ministrum,
Obstupuit gelido pectore fida cohors.
Hæsimus, ut subito percussi fulminis ictu;
Et visa est tenebras nox geminare suas.

For-

Fortuna in miſeros ſemper conjurat amantes.
Jactare o tantas parce, ſuperba, minas.
Templa tibi ſtatuent, te cingent pinguibus aris,
Dulcia ne mixto pocula felle bibant.

XII.

Hieme indulgendum voluptati.

TEMPORA dum fugiunt, præceps dum vertitur annus,
Attulit exiguos horrida bruma dies.
Vento ſilva fremit: ſtat frigore lucidus amnis:
Albent conſpicuæ per juga ſumma nives.
Cæruleus triſtes diffundit Juppiter imbres;
Nullaque jam liquido gutture cantat avis.
Non audet ſtabulis pecudes emittere paſtor:
Obſidet ardentes garrula turba focos.
Nunc vino certare juvat, nunc ponere menſas,
Nunc ſtrepere, & multa ducere nocte choros.
I, puer, & cyathos generoſo prolue Baccho:
Temperet auratam Lesbius arte lyram.
Tympana pelle manu, tremulis nec parce cachinnis,
Delia: tuque latus fuſca Lycinna move.
Quid tum, ſi noſtros carpat vicinia mores,
Et nequeant juvenum gaudia ferre ſenes?
Nil certe frontis noceat mihi ruga ſeveræ.
Jam veniet tacito Mors inopina pede.
Qui ſapit, arripiat labentis commoda vitæ.
Non violenta diu ludere fata ſinent.

XIII.

XIII.

De Melampi fidiſſimi canis interitu.

THESTYLI, coge pecus: non hac dormire ſub ulmo,
Dum vigilant fures, invida fata ſinunt.
Occidit ille gregis felix tutela Melampus,
Latrantem rapidi quem tremuere lupi.
Vos quoque in obſcuros nemorum procedere ſaltus
Parcite oves. cuſtos dentibus acer abeſt.
Nunc decet hibernas inſomnem ducere noctes,
O Lycida. inſidiis umbra maligna favet.
Ille minax rictu, villiſque horrentibus audax,
Egit nocturnas pervigil excubias.
Auribus exiguos captantem ſæpe ſuſurros
Nulla tamen vano moverat aura ſono.
At ſi quis culti ſæpem tentaverat horti,
Protinus ingenti voce monebat herum.
Nunc miſer, heu, vacui per campos errat Averni,
Tollentemque minas Cerberus ipſe pavet.
Sed bene conſuluit noſtro Fortuna periclo,
Quod catulos utero pulchra Lyciſca gerit
Exſtincti de ſtirpe patris; qui fenore multo
Hinc abigant turpes fida caterva feras.
Interea, totum ne raptor perdat ovile,
Candida, Faune, tuos imbuet agna focos.

XIV.

XIV.

Ad amicos Pataavinos, dum ad Benacum commoraretur.

Hic ubi cymba levis Benaci ludit in unda,
Consuetaſque parat piſcibus inſidias:
Et mihi miranti prodit pellucidus humor
Candida nudarum corpora Naïadum:
Pubenteſque rigat vicinis fontibus herbas
Mollis odoratis ripa ſub arboribus;
Quamvis multa meis poterant obſiſtere curis,
Ne flerem Venetæ rura beata plagæ,
Et quos dura mihi rapuerunt fata ſodales;
Non tamen a lacrimis lumina mæſta vacant.
Quid ſi me Phario Meroë circumflua Nilo,
Fertilis aut pingui ture teneret ager?
Nulla peregrinæ facies telluris, amici,
Me valeat dulci detinuiſſe mora.
O me felicem, ſi vobis mutua cura eſt,
Si quando igne pari pectora veſtra calent!
Interea, dum me longinquus diſtinet error,
Vobiſcum eſt noſtræ maxima pars animæ.

XV.

XV.

AD LYCIDAM.

Amori tempestive obsistendum.

AGGERE quæ modico potuit prius unda repelli,
Obrueret subitis ne fata vorticibus;
Postquam se medios tumefacta effudit in agros,
Dum properat seram ferre colonus opem,
Heu facinus! turpi late premit omnia limo;
Et vix, qua sensim defluat, ulla via est.
Sic dum parvus Amor circa tua pectora ludit,
Insidiis quærens, vulneribusque locum,
Effugisse dolos, volucresque arcere sagittas
Res fuerit, Lycida, non operosa tibi.
At frustra sævi detrectes regna tyranni,
Si ponat capta victor in arce pedem.
Ne mitem tibi finge deum: prohibere ruentem
Una salus: domitis parcere nescit Amor.

XVI.

AD NEARCHUM,

singulari forma, & præclara indole adolescentem.

O, cui Pieridum, Charitumque favore, Nearche,
Corporis, atque animi contigit omne decus;
Quum tibi sit facies, qualem sibi malit Adonis,
Concedis casto non tamen Hippolyto.

Hinc

Hinc de te certant Venus, atque innupta Diana:
Utraque ſed vano fervet amore dea.
Nempe tibi ante oculos, juvenis formoſa pudici
Verſantur, calidis corpora trita rotis;
Et qui, dum tenera tractat venabula dextra,
Concidit obliquo dente peremtus apri.
Quodque ſuis nequeant avertere triſtia fata,
Nec Dictynna tibi, nec Cytherea placet.
Sola placet, carum quæ per mare ſervat Ulyſſem,
Vertice de ſummi nata puella Jovis.

XVII.

IN NUPTIAS
FRANCISCI, MUTINAE PRINCIPIS, ET CARLOTTAE AGLAES BORBONIAE.

NUBIT ATESTINO juveni BORBONIA virgo:
Italiæ ſuperi quid dare majus habent?
Alma Venus redeuntem ulnis excepit Amorem,
Et nati egregium læta probavit opus.
Non olim Phrygio Lavinia juncta marito
Attulerat Paphiæ gaudia tanta deæ;
Unde bonis avibus crevit Romanus alumnus,
Preſſit & impoſito barbara colla pede.
Scilicet heroum, & regum de ſanguine mixto
Scipiadas longe proſpicit illa novos.
Qui Thracum ſpoliis, domitoque Oriente ſuperbi
Antiquis cumulent laudibus Auſoniam.

Qui revocent profugæ pulſos Virtutis honores,
Qui foveant artes, juſtitiamque colant.
Et (quod Romuleæ genti per fata negatum eſt)
Magnanimam ſervent tempus in omne domum.

XVIII.

AD JOANNEM FRANCISCUM BARBADICUM,

Epiſcopum Brixienſem, S. R. E. Cardinalem creatum.

DEBITA quod tandem te, BARBADICE, locarit
Romanos inter purpura ſacra patres,
Jam populo magnus, fortunatuſque videris:
Tamquam ſit virtus pectoris aucta tui.
Aut contemtus opum, vel Muſis æqua voluntas
Creverit, aut ſanctæ relligionis amor.
Sed nobis, quos non fallaci in cortice rerum
Detinet ambiguis vana figura notis,
Viſus eras pridem felix: te nempe locarant
Inter præclaros maxima facta viros.

XIX.

Inſcriptum ſepulcro Familiæ Vulpiæ Patavii in æde D. Luciæ.

NOS. TENET. ALTA. QVIES. PLACIDOQVE. SIMILLIMA. SOMNO
QVAE. SVMVS. IGNARIS. CORPORA. VISA. MORI
HIC. ERIMVS. DONEC. RESERATO. CHRISTVS. OLYMPO
AETERNO. IVBEAT. NOS. VIGILARE. DIE

XX.

Sub effigie ALOYSII ALAMANNI *Florentini Poetæ nobiliſſimi.*

DUm frumenta Ceres, vites dum Bacchus amabit,
Paxque feret pleno mitia poma ſinu;
O ALAMANNE, tuis veniet nova gratia Muſis,
Quem rapuit Tuſcis Gallia litoribus.

XXI.

Sub imagine Nauceli, Portus Naonis fluvii, apud quem olim Bartholomæus Livianus, fortissimus Imperator, celebrem Academiam instituerat.

OLIM parvus eram, vixque ulli cognitus amnis:
It mea nunc tumido lympha superba pede.
Argutos etenim pavi NAUCELUS olores,
Qui se, meque suo carmine in astra ferant.

JOANNIS ANTONII

VULPII

OPUSCULA

SOLUTA ORATIONE SCRIPTA;

Quæ variis in voluminibus diſperſa
ad hoc tempus legebantur.

ANDREAE NAUGERII
PATRICII VENETI
VITA.

ANDREAS NAUGERIUS, Orator, Hiſtoricus, & Poeta, longe doctiſſimus, atque elegantiſſimus; cujus olim in Europa univerſa pervulgatum, ac celebre nomen fuit; vix eam apud homines dignitatem obtinere videtur, quam ipſe ſibi pulcherrimarum artium ſtudiis ingenti cum laude conciliaverat. Utrum id acciderit negligentia temporum quæ deinceps conſecuta ſunt, invecto præſertim in ſcholas corruptiſſimo genere dicendi: an vero quorumdam levitate, qui præclara ingenia multitudine magis, quam excellentia monumentorum metiri conſueverunt; non ſatis compertum eſt. Hujus ego maximi viri memoriam, ſitu pæne atque oblivione obrutam, excitare quodammodo, ac repræſentare, in ani-

animum induxi; non, quod eum exiſtimem, ut illuſtrior fiat, orationis cujuſquam indigere: ſed ut Italis adoleſcentibus, egregia plerumque indole præditis, ejuſmodi exemplar proponam, in quod ſæpius intuentes, abjecto otio & nugis, de veteri eloquentiæ gloria recuperanda, unde ſuperiore ſæculo excidimus, aliquando incipiant cogitare. Natus eſt igitur ANDREAS Venetiis, anno poſt CHRISTI adventum cIↃccccLxxxiii. Parentes habuit Bernardum Naugerium, & Lucretiam Polanam. Hæ familiæ in antiquiſſimis Venetæ civitatis numerantur. Antiquior tamen Polana; quæ ſcilicet urbis initia vetuſtate fere attingere dicatur. Excolebantur per id tempus ab hominibus gloriæ cupidis magno labore, magnaque animorum contentione, non in Italia ſolum, verum etiam apud ceteras Europæ nationes, optimarum ſtudia diſciplinarum; quæ jam inde ab excidio Romani imperii, diuturno plurium ſæculorum intervallo abjecta penitus, & prope mortua jacuerant. Et jam eo perducta res erat, tum antiquorum ſcriptis ex abditiſſimis bibliothecis eruendis, tum iiſdem ita emendandis, explicandiſque, ut nullo negotio ab juventute intelligi, mandarique memoriæ poſſent: ſæpe etiam ad illorum normam atque veſtigia novis fingendis argumentis, orationibus, omnique poematum genere: ut qui in poſterum naſcerentur, tan-

tantiſque copiis inſtructi, acrius tamen judicium, ſeverioremque delectum ad legendum, ſcribendumque conferre voluiſſent, ii procul dubio ſupremam manum, & veluti faſtigium quoddam, abſoluto nondum operi demum impoſituri viderentur. Id enim peccabant homines, alioqui eruditi, neque ab ingenio inopes, quod aut unumquemque ſcriptorem ſine diſcrimine lectitarent, & ex unoquoque verba, ſententias, varios loquendi modos paſſim excerperent, & in ſua ſcripta transferrent; unde neceſſe erat genus quoddam orationis exſiſtere abſurdum prorſus, atque inconcinnum, perinde ac *ſi multa jura confundat coquus*, quod eſt apud comicum quemdam poetam: aut Cicerone contemto, ceteriſque optimis, qui aurea illa Auguſti ætate, vel paullo ante vixerunt, deteriorum quam ſimillimos ſe eſſe mallent, puerileſque ineptias, inanemque ac ſtultam loquacitatem incredibili judiciorum perverſitate ſectarentur. Quæ vitia (ut eſt rerum humanarum perpetua quædam viciſſitudo) ita rurſus in amore, atque in pretio eſſe, ita mentes eorum qui ſe dicendi rationem adoleſcentibus tradituros profitebantur, occupare cœperunt; ut nemo proximis his temporibus vel poeta, vel orator haberetur, qui non eodem morbi genere laboraret. Quod niſi per diſertiſſimos viros huic peſti maturius occurſum fuiſſet, ne umbra quidem ſanioris elo-

quentiæ ad posteros pervenire posset. In ejusmodi corruptelas inciderat NAUGERII adolescentia. Quapropter (ut ea facillime percipi, atque adhærescere cernimus, quæ a summis auctoribus in animos discentium profecta, eos levi momento percellere, & in quamcumque partem impellere solent) ipse quoque prima illa ætate, quam omnem ad alienum arbitrium institui pudor jubet, vulgari doctorum hominum consuetudine, quasi æstu quodam, aliquamdiu se abripi passus est. Apparebat in eo præstans, & ad omnia natum ingenium: memoria valebat plurimum; ut integros prope poetarum libros, quibus in primis delectabatur, magna cum audientium admiratione ex tempore posset recitare: litterarum vero cupiditate ita incensus ferebatur, ut præ illarum dulcedine non solum voluptates alias omnes repudiaret, verum etiam valetudinis curam sæpius abjiceret. Accedebat ad hæc mira vocis & pronuntiandi suavitas: hilaritas & comitas vultus, quam tamen adjuncta gravitas temperaret: congressus & sermonis facilitas: status denique motusque corporis, quod illi procerius natura dederat, decorus atque elegans. Quibus rebus id consequebatur, ut quum omnibus æque acceptus esset, tum firmissimas societates, sanctissimasque amicitias in dies sibi compararet; neque ejus procerebus magnopere invideretur. Quum puer esset,

ſet, in Latinis litteris perdiſcendis operæ plurimum ſtudiique conſumſit; quas magna famæ celebritate Venetiis docebat M. Antonius Coccius Sabellicus, quum ei ſtipendium publice præberetur; vir ſane doctus, &, ut illa ferebant tempora, ſcriptor diſertus, & gravis: qui primus *Veneti Senatus decreto, ejus Reipublicæ Hiſtoriam ab exordio Urbis memoriæ prodidit; deinde immenſum opus aggreſſus, univerſam omnium ſæculorum, gentium, & locorum antiquitatem iis libris complexus eſt quos Enneadas appellavit. Hunc tametſi NAUGERIUS in loco parentis obſervabat, multumque apud ipſum præceptoris valebat auctoritas; pulchrior tamen, & abſolutior eloquentiæ ſpecies in adoleſcentis animo inſidere cœpit. quam aſſidue contemplatus (ut erat judicio acerrimo, quod ætas jam corroborata ſenſim perficiebat) in elegantiſſimis tantum ſcriptoribus legendis, imitandiſque juventutem ſuam deinceps collocare ſtatuit. Excitabatur ad id quum mirifica voluptate, quam ex hujuſmodi meditationibus capiebat: tum ſpe gloriæ,

* *Veneti Senatus decreto*) Id certe viri docti complures ante nos litteris tradiderunt: quos tamen omnes refellit Apoſtolus Zenus, Caroli VI. Cæſaris Hiſtoricus ac Poeta, in Vita M. Antonii Sabellici, quam accuratiſſime conſcriptam anno CIↃ IↃ CC XVIII. ejus Hiſtoriæ Venetæ præpoſuit. Oſtendit enim, Sabellicum nullo jubente id operis aggreſſum, tantummodo ut animo obſequeretur, utque civitatis de ipſo præclare meritæ monumenta a rudium ſcriptorum barbarie vindicata ornatiore ſtilo componeret.

quæ ab optimis quibuſque, tamquam ampliſſimum præmium expetitur recte factorum: tum præcipue Petri Bembi civis ſui exemplo, quem ad barbariem profligandam ſtrenuum profecto ducem manſuetiores Muſæ ſibi delegiſſe videbantur. Igitur quæ ſibi adoleſcentulo, ſeu potius puero, minus caſtigata olim exciderant; inter quæ Silvas aliquot ad Papinianarum ſimilitudinem carmine conſcriptas; ne quid apud poſteros de laude ſua detrahi aliquando poſſet, non invitus in ignem conjecit. qua de re in ejus Luſibus lepidum exſtat Epigramma. Ut autem eam dicendi facultatem, & gloriam, ad quam toto animo, totis viribus jampridem contendebat, certius & brevius aſſequeretur, Patavium profectus eſt; ubi Græcas litteras a Marco Muſuro Cretenſi, qui eas ibi profitebatur, avide arriperet. exiſtimabat enim (id quod experientia comprobatum videmus) qui Græce neſciret, aditum ad veram ſolidamque eruditionem patere nemini. Florebant eo tempore per Italiam hujuſmodi ſtudia, adeo ut vel tarditatis, vel inertiæ crimen effugere vix poſſent ingenui adoleſcentes, ſi qui ad illa maturius animum non appuliſſent; in tanta præſertim copia magiſtrorum. Capta enim recens Conſtantinopoli ab immaniſſimo Turcarum Rege Mahumete, quo, veluti Athenas alteras, ad cultum animi capiendum, e tota Græcia concurſus

ſus fieri ſoliti erant; expulſi inde doctiſſimi homines, in Italiam ad Pontificem Maximum, ceteroſque Chriſtianos Principes venerant exſules, eamque nova quaſi doctrinæ luce perfuderant. Inter quos eminebant facile Beſſarion Nicenus, Joannes Laſcaris, Demetrius Chalcondylas, Theodorus Gaza, Joannes Argyropylus, Conſtantinus Laſcaris, Georgius Trapezuntius, & is quem ſuperius diximus, Marcus Muſurus. Horum ope Græca eruditio longe lateque propagata, eos denique fructus peperit, qui a nobis dulciſſimi, atque uberrimi percipiuntur. Tanto ſuſcepto negotio, id perfecit NAUGERIUS cura, exercitatione, aſſiduitate, magiſtrum ſæpius interpellando, & ex illo obſcuriſſima quæque ſciſcitando, ut jam ſcriptores Atticos non ſolum penitus intelligeret, ſed etiam preſſius imitaretur, & in ſuos uſus convertere poſſet. Neque a poetis Græcis evolvendis rei difficultate abſterrebatur; quorum ea fuit in ſcribendo ſive licentia, ſeu potius artificium, ut Antonius ille magnus apud Romanos orator, quamquam Græcarum litterarum peritus, eos tamen, quaſi aliena quadam lingua locutos, attingere non conaretur. Pindarum in primis admirabatur, quem & manu ſua non ſemel deſcripſit; ut Aldus Manutius miſſa ad eum Epiſtola teſtatur. Eloquentiæ porro ſtudiis optimo conſilio ſapientiæ ſtudia conjungenda cenſuit;

ſuit; ſine quibus orationem omnem, quamvis multo verborum lumine illuſtratam, jejunam tamen, futilem, ſanorumque hominum auribus indignam eſſe oportet. Itaque non mediocrem philoſophiæ operam dare cœpit: Petrumque Pomponatium, de rerum natura acutiſſime differentem, in Patavino Gymnaſio frequens audivit. Ob inſignem vero ſpectatamque probitatem, celſam præclaramque indolem, magnos in quolibet litterarum genere celerrimoſque profectus, ita præceptoribus carus erat, ut nihil non ejus cauſſa vellent, omniaque de illo ſumma, omnia præter vulgarem conſuetudinem, non vanis opinionibus augurarentur. Morabatur ille Patavii libentiſſime; in urbe nimirum ab honorum contentione, civilibuſque concertationibus maxime remota: ubi per ſummum otium ac tranquillitatem in iis artibus verſaretur, ſine quibus vitam aut nullam, aut ſane acerbam putabat. ipſa etiam cæli adſpiratio ſalubris, ac temperata, hortorum, ſuburbiorum, & Medoaci fluminis amœnitas, opacæ frigidæque per æſtatem ambulationes; tum ſodalium, qui eodem ſtudiorum cauſſa venerant, conſuetudo ſermoneſque jucundiſſimi, animum a cura, corpuſque a laboribus recreabant. Quam urbis nobiliſſimæ faciem bello illo quod a potentiſſimis Europæ Regibus contra Venetos acerrimum geſtum eſt, nonnihil a

Ger-

Germanis militibus deformatam ægre admodum tulit, elegantique poemate deploravit. Utebatur cenſore ſcriptorum ſuorum Chriſtophoro Longolio, viro in Germania nato, ſed qui ſcribendi exercitatione, doctrinaque multiplici cum præſtantiſſimis Italorum ingeniis contendere poſſet; &, ſi diutius ei vivere contigiſſet, in ſummum oratorem evaſurus videretur. Coluit etiam ex nobili ſuæ civitatis juventute Caſparem Contarenum, ſingulari vitæ innocentia, morumque gravitate adoleſcentem: Petrum Bembum, qui veteris germanæque eloquentiæ laude inter ceteros clarus, atque inſignis habebatur: Chriſtophorum, & Angelum Cabriellios, Nicolaum Theupolum, Auguſtinum Piſaurium, Paullum Canalem; qui omnes principum familiarum, in quibus orti erant, amplitudinem ac dignitatem litteris ornare, ac quodammodo cumulare non deſinebant. Contulerant ſe item ad ejus amicitiam Joannes Cotta, & Bartholomæus Riccius: quorum alter ſuaviſſimis verſibus Catulli municipis ſui urbanitatem, & veneres exprimere conabatur: alteri vero NAUGERIUS ipſe auctor fuit, ut ex puriſſimis tantum fontibus, non ex turbidis quibuſdam rivulis, candorem, copiam, atque ornamenta Latinæ orationis hauriret. Nemini tamen arctiore neceſſitudinis vinculo conjunctus fuit, quam aut Hieronymo Fracaſtorio, excellentis ingenii

genii viro, qui e recentioribus poetis omnium proxime ad Publii Virgilii divinas illas in condendo carmine virtutes acceſſit: aut Joanni Baptiſtæ Rhamnuſio, homini reipublicæ adminiſtrandæ ſcientiſſimo, cujus tum fidei, tum prudentiæ Decemvirum Conſilium (eſt hoc graviſſimi magiſtratus apud Venetos nomen) negotia ſua omnia, & myſteria ſervanda tradiderat: aut denique Rhamundo, & Joanni Baptiſtæ Turrianis fratribus, e Veronenſi nobilitate; quorum erant multæ, ac reconditæ litteræ, incredibilis humanitas, amorque ſapientiæ. Ad hos in Baldi montis receſſibus prope Veronam doctiſſimos illos de re poetica ſermones habuit, qui a Fracaſtorio diligentiſſime excepti, monumentiſque mandati, ad noſtram uſque ætatem pervenere. Niſi quis fortaſſe exiſtimare velit, Fracaſtorium totam ejuſmodi diſputationem affinxiſſe NAUGERIO; amici nimirum ingenio, ac ſtudiis maxime accommodatam. Quod etſi mihi videtur a veritate abhorrere, ceteris tamen dijudicandum relinquo. Conſuetudo ejus pleniſſima ſuavitatis erat: animus ab omni ſimulatione alienus: ſermo, qui plurimum delectaret, neminem læderet: pronuntiatio denique ipſa verborum tam dulcis, tam varia, & in omnes partes flexa, ut, ſive aliquid legeret in conventu amicorum, ſive narrationem ordiretur, ſive de diſciplinis, rebuſque

que domeſticis loqueretur, eos qui audirent mira quadam voluptate affectos a ſe dimitteret. Quum vero ſibi ipſe numquam ſatisfaceret in ſcribendo, & ea quæ primo impetu effudiſſet, ad limam idemtidem acri, & polito judicio revocaret, obtrectatorum reprehenſiones lente admodum ferebat; quin immo ex iis utilitatis aliquid elicere ſtudebat. Quo factum eſt, ut invidiam omnem atque offenſionem, quæ præſtanti ejus ingenio, ſingularique doctrina nonnihil excitata fuerat, idem conſtantia, & magnitudine animi paullatim exſtingueret. Quamvis autem gloriæ cupiditate duceretur, non tamen ad illam nimia feſtinatione properandum exiſtimabat: neque umquam, dum viveret, e commentationibus ſuis aliquid, niſi diſſimulato nomine, in conſpectum hominum prodire paſſus eſt. Nam pauca illa NAUGERII, quæ ſunt in manibus, amicorum ejus pietas aut clanculum excepta, aut precibus extorta, aut eo mortuo in adverſariis inventa, ab interitu vindicavit. Mirabile eſt, quum quotidie plurimum meditaretur, nullumque illi a legendo, ſcribendoque tempus vacuum relinqueretur, quam multa veterum ſcripta (Terentii nimirum, Lucretii, Virgilii, Horatii, Tibulli, Ovidii, Quintiliani) ad incorruptorum codicum veritatem exegerit: quos undique ſtudioſiſſime conquirebat. In primis vero

M. Tullii Ciceronis monumenta immortalitate digniſſima, quæ diuturno ante tempore dejecta, mutila, & fere ignorata in tenebris delituerant, ipſe magnis laboribus digeſſit, ſupplevit, bonoque in lumine collocavit. Quo beneficio ita doctorum hominum rationibus, ingenuorumque adoleſcentium ſtudiis proſpexit, ut, etiamſi nihil aliud ab eo profectum eſſet, ob hoc unum tamen ingentes ei gratiæ ab omni poſteritate eſſent habendæ. Uſus eſt autem in emendandis antiquorum libris, Aldi Pii Manutii opera, fideli ſane atque aſſidua, a quo diligentiſſime colebatur: quumque ille, inſigni calamitate accepta, de typographia deponenda cogitaret (quæ res non mediocre bonis litteris detrimentum illatura videbatur) hortatu NAUGERII, animum jam demiſſum & oppreſſum erexit, atque in incepto permanſit. Quum igitur propter eximias, raraſque virtutes, excellens ingenium, omnibuſque diſciplinis excultum, probatam denique induſtriam, NAUGERIUM univerſi diligerent, juſtiſſimiſque laudibus in cælum ferrent; tantum aberat, ut ipſe ſua miraretur, ut potius ea ſemper verbis extenuaret, dictitaretque: *ſe ingentium operum rudia quædam tantummodo fundamenta jeciſſe, abſolutionem vero ad ceteros pertinere.* Pie caſteque DEUM colebat, Chriſtianæque Reipublicæ fines longius proferri vehementer cupiebat; neque, ut

ut id perfici poſſet, Leoni X. Pontifici Maximo, apud quem ſummo erat in honore, ſtimulos admovere deſtitit, ut is deſides, diſſidenteſque inter ſe Principum animos ad bellum Turcis inferendum auctoritate ſua impelleret, atque incitaret. Id præſtitit NAUGERIUS Epiſtola quadam eidem Pontifici inſcripta, quam Ciceronis Orationibus opera ſua emendatis apponi curavit. Amicis numquam defuit, quos omni officiorum genere proſequebatur; ſed alieniores etiam, quos optimarum artium ſtudio ardentius inflammatos cognoviſſet, in familiaritatem ſuam libentiſſime recipiebat; quibuſcum honeſtiſſimos de virtute, præclariſque antiquorum inſtitutis ſermones habebat, ut qui ad eum veniſſent, doctiores ſemper ab eo ſe diſcedere faterentur. Patriæ vero civiumque caritas in eo tanta erat, ut, quamquam ab omni ambitione remotiſſimus eſſet, idque a natura haberet, ut ſeceſſu ac ſolitudine magis, quam urbano ſtrepitu delectaretur; nihilominus, quoties Reipublicæ tempora poſtularent, ejus commodis, quam tranquillitati ſuæ inſervire mallet. Sed quum primum a negotiis laxamenti aliquid nactus fuerat, ſtatim a curiæ forique conſpectu, aut in ſuburbanum ſuum, quod Murani poſſedit amœniſſimum, aut in Forojulienſem regionem, lætam atque uberem, aut ad pulcherrimum Benaci litus, tamquam a tempeſtate in portum

aliquem, confugiebat. Voluptatibus autem agricolarum, quæ potiſſimum videntur eſſe ſapientis, mirum in modum afficiebatur: omneſque natas e terra ſtirpes, earumque vim atque naturam cognoſcendi cupidus erat: quarum etiam nonnullas, eatenus noſtris hominibus incognitas, ex Hiſpania in Italiam ſecum advexit. Romæ fuit aliquando; ibique Petro Bembo, & Jacobo Sadoleto, viris eo tempore omnium eloquentiſſimis, valde familiariter uſus eſt. quumque diligens eſſet ſcrutator antiquitatis, & in Hiſtoriis legendis diu multumque verſatus, de veterum ædificiorum ſplendore, ac magnitudine, ex iis quæ ſupereſſent ruderibus ſagaciſſime exiſtimabat. Nec leviora ſtudia omnino contemſit; nam & de ſignis, & de picturis, & de ſonis atque concentibus judicium facere poterat; ut etiam puerum fidicinem domi aleret, ſuæ amicorumque voluptati. Quum enim pulchritudinis veluti quamdam ideam animo comprehenſam haberet, iccirco in unaquaque re quid aptum, quid decorum, quid elegans eſſet, quid contra, facillime ſentiebat. Ob vehementiſſimam autem, quam in litterarum ſtudiis adhibebat, animi contentionem, aſſiduas immoderataſque vigilias, habitu corporis paullatim vitiato, in periculoſum incidit morbi genus, quod μελαγχολίαν Græco nomine medici appellant: cujus vi adeo confli-

cta-

ctatus eſt, ut quamquam invitiſſimus, libros tamen omnes abjicere, induſtriæque ſuæ curſum omnino interrumpere coactus fuerit. Per id tempus in Bartholomæi Liviani, Venetarum copiarum imperatoris, contubernio vixit: fortiſſimi ſane viri, ſed adverſa ſæpius fortuna uſi: quem tamquam exemplum veteris diſciplinæ unice admirabatur; fatoque ſuo functum illuſtri Oratione laudavit. Livianus contra NAUGERIUM diligebat, jampridem in Academiam ſuam cooptatum, quam ipſe ad Portum Naonis conſtituerat, occluſo propter bellorum calamitatem Patavino Gymnaſio. Fluit ibi Naucelus fluvius, quem antea contemtum atque ignobilem Academia nobilitavit; eumque videtur alumnorum ſuorum ſcriptis editis pro ſigno appoſuiſſe. Iiſdem in regionibus, ſecundum Livianum, Hieronymo Savorgnano, ſummo duci, NAUGERIUS plurimum tribuebat; cujus conſilio, fide, virtute Opſopium munitiſſimum oppidum contra validam hoſtium oppugnationem Veneto Imperio conſervatum eſt. Depulſo igitur morbo (magnam enim illi levationem attulerant itinera, animique remiſſio) totum ſe rurſus in litteras abdidit, a quibus ægre ſe avelli patiebatur. Quamobrem tanta opinione probitatis, tantaque exiſtimatione doctrinæ apud cives ſuos florere cœpit, ut vix quiſquam inveniretur, quem ullo virtutis

ge-

genere cum eo conferendum putarent. Legaverat ſupremis tabulis ante aliquot annos Veneto Senatui bibliothecam ſuam vetuſtis codicibus refertiſſimam Beſſarion Nicenus, homo Græcus, Platonicæ doctrinæ ſtudioſiſſimus; qui ob ſingularia in Chriſtianam Rempublicam merita, egregiamque in Concilio Florentino navatam operam, ab Eugenio IV. Pontifice Maximo in ampliſſimum Cardinalium ordinem lectus fuerat. Ei bibliothecæ cuſtodiendæ Senatus præfecit M. Antonium Sabellicum; quo e rebus humanis ſublato, id munus continuo ad NAUGERIUM, una cum onere Hiſtoriæ conſcribendæ, delatum eſt. Hæc enim duo primis illis temporibus conjuncta fuere; cujus rei, præter ceteros, teſtem locupletem habemus Petrum Bembum, qui & ipſe poſt NAUGERIUM utramque provinciam ſuſcepit, Senatus decreto. Quantam porro Latini ſermonis elegantiam, quantam in rebus geſtis colligendis diligentiam, quantam civilis prudentiæ copiam, ad eorum alterum cum dignitate præſtandum NAUGERIUS afferret, quum e Bartholomæi Riccii, Romuli Amaſæi, aliorumque doctorum virorum libris intelligi poteſt, qui omnes ejus operis rudimenta mirifice laudant; tum ex ipſius Orationibus conjecturam facere licet, in quibus multa leguntur eo ſtilo ſcripta, qui non valde ab Hiſtoria diſtet, Cæſariſque imitationem, quem

quem ille ſibi propoſuerat, aperte prodant. Conciones ſe paſſim narrationi admiſcuiſſe, teſtatur ipſe apud Fracaſtorium; Polybii videlicet, ac Thucydidis, graviſſimorum ſcriptorum, auctoritatem ſecutum. Totam vero Hiſtoriam in decem libros tribuerat, exorſus a Caroli Octavi, Gallorum Regis, in Italiam adventu; id quod poſtea, deletis NAUGERII lucubrationibus, a Paullo Jovio, & Franciſco Guicciardino pariter factum videmus. Utinam aut ei longior vita ſuppeditaſſet, aut abundantiore otio frui licuiſſet (de quo multum Reipublicæ tempora detraxerunt) ut quod inceperat, abſolvere, & perpolire poſſet: aut ſaltem inchoatum opus ad nos pervenire paſſus eſſet; quod ille, veritus judicium poſteritatis, teſtamento comburi juſſit. Quo caſu deſiderata eſt etiam Oratio qua Catharinam Corneliam, Cypri Reginam, ſingulari virtute mulierem, vita functam pro concione laudaverat: item de Venatione libri duo, & alter de Situ Orbis, carmine conſcripti: quæ omnia ſi exſtarent, quantus ille vir fuerit, manifeſtius & plenius oſtendi poſſet. His tamen quæ ſuperſunt, tamquam e naufragio reliquiis, jacturam ceterorum conſolari præſtat, quam de inanibus hominum contentionibus, fallaci ſpe, fragilique fortuna plus æquo dolere. Quum igitur omni diſciplinarum genere animum excoluiſſet, boni civis officium

exi-

exiſtimavit fore NAUGERIUS, ſi prudentiam diuturno ſtudio comparatam, uſu etiam aliquo rerum confirmaret, & ad communem Patriæ ſalutem, dignitatemque converteret. Fœdus iecerat Senatus Venetus, ob tuendam Italiæ tranquillitatem, cum Carolo Cæſare, eodemque Hiſpaniæ Rege: utque firmius potentiſſimi Principis voluntatem ſibi adjungeret, legatos hac de re ad eum mittere conſtituerat. Legationem tam illuſtrem, in qua tamen plurimum difficultatis ineſſet, hortatu amicorum, ſibi petiit NAUGERIUS: eaque cunctorum ſuffragiis impetrata, una cum Laurentio Priolo Collega in Hiſpaniam profectus eſt. Sed quum iter ii nondum confeciſſent, Franciſcus Galliæ Rex, maximo exercitu coacto, in Inſubriam venit, quam ad ſe pertinere contendebat: occupatoque Mediolano, ad Ticinum caſtra poſuit, eamque urbem arctiſſima cinxit obſidione. Dum hæc gererentur, & nuntius deditionis in dies exſpectaretur, non longe abſuit, quin Senatus legatos revocaret: timebat enim, ne Rex victoria elatus in Venetorum fines irruptionem faceret, agroſque eorum fœde popularetur: & iccirco Cæſaris rebus lente admodum favebant, præſertim quum a Regis amicitia inviti diſceſſiſſent. Verum præter omnium opinionem accidit, ut Galli commiſſo prœlio cum Cæſaris exercitu, qui ad urbem obſidione libe-

ran-

randam appropinquabat, in fugam verſi turpiſſime cæderentur; Rexque ipſe in hoſtium poteſtatem veniret: quibus rebus auditis, legatis imperatum eſt, ut ad Carolum recta pergerent. Ea legatione impeditus NAUGERIUS quadriennium fere a Patriæ, amicorumque conſpectu abfuit; ſuſceptamque provinciam magno Reipublicæ commodo, & cum ſumma fidei, prudentiæque laude adminiſtravit. Sed quum Itali Principes, qui nimiam Cæſaris potentiam formidabant, fœdere inter ſe facto, & Franciſco, Galliæ Rege, qui pridem e cuſtodia evaſerat, in fœderis ſocietatem accepto, bellum Carolo indixiſſent, ni ad conditiones quas ipſi propoſuerant, deſcendere voluiſſet: poſt multa de pace colloquia, legati re infecta dimiſſi ſunt. Vix domum attigerat NAUGERIUS, quum ei novum onus imponitur, altera ſcilicet ad Franciſcum Regem legatio. Quapropter magnis itineribus citiſſime in Galliam evolavit. Mandatorum ſumma erat, Regem inducere, ut cum exercitu in Italiam ad Cæſaris opes infringendas ſtatim rediret: ejuſque conatibus omne auxiliorum genus polliceri. Sed quum Regem adiiſſet NAUGERIUS, ab eoque honorifice fuiſſet exceptus, non ſolum pro Venetæ Reipublicæ dignitate, verum etiam ob ipſius ingentes præclaraſque virtutes (plurimi enim Rex ille magnus liberalium artium ſtudia, doctoſque

homines æſtimabat) Blæſio in oppido ad Ligerim de improviſo in febrim incidit, eaque vehementius ingraveſcente, paucis diebus poſtquam decubuiſſet, * vi morbi conſumtus eſt. anno videlicet a CHRISTI adventu cIↃ IↃ xxIx. vIII. Idus Maji; quum ipſe annum ætatis ageret xLvI. Elatus eſt quam ampliſſime, ſummo Regis mærore: multiſque excellentium virorum laudationibus ejus exſequiæ honeſtatæ ſunt. Nuntio autem de Legati morte Venetias allato, incredibile eſt, quanto luctu Civitas univerſa fuerit affecta: quem dolorem fratres ejus acceperint, quem amici, quem familiares: in primiſque Joannes Baptiſta Rhamnuſius, & Petrus Bembus; cujus illud de NAUGERIO teſtimonium exſtat luculentum, in Epiſtolis recentiori hac Italica lingua conſcriptis: *Multis ſæculis Venetam Rempublicam, qui cum eo comparari virtute poſſit, Civem habituram eſſe neminem.* Rhamnuſius vero, annum poſt vigeſimum ſecundum, amiciſſimi hominis memoriam repetens (qua erat apud ſenatorium ordinem gratia) Senatuſconſultum fieri curavit, quo Imagines NAUGERII, & Fracaſtorii, ex ære ſcitiſſime expreſſæ, illuſtri in loco Patavii collocari juberentur: idque continuo præſtitum eſt, interrupto urbis muro vetuſtiſſimo, conſtructoque novo fornice, ac

* *Vi morbi conſumtus eſt*) Quod morbi genus *Naugerium* ſuſtulerit, vide apud Hieronymum Fracaſtorium libro 2. de morbis contagioſis, cap. 6.

ac ponte contra templum D. Benedicti. Deſiderium etiam gentilis ſui lenire magna ex parte viſus eſt Bernardus Naugerius, vir eloquentiſſimus, pluribus legationibus pro Patria obitis clarus, ac tandem in Cardinalium Collegium a Pio IV. Pontifice Maximo cooptatus, & Veronæ Antiſtes creatus. Imago tamen NAUGERII noſtri diuturnior, & nullo umquam temporum ſpatio interitura, ſunt ſcripta ejus elegantiſſima; pauca quidem, ſi numero ſpectentur, ſed quorum paucitatem apud æquos judices venuſtas, candor, ſuavitas, ceteræque dicendi virtutes abunde compenſare poſſint. Quid enim ejus Orationibus, quas in funere Liviani Ducis, & Lauretani Principis habuit, aut copioſius, aut dulcius, aut ad permovendos animos magis idoneum? Multa in iis verborum lumina, qua ſimplicium, qua conjunctorum: crebræ graveſque ſententiæ: apta & diſpoſita omnia. Quid porro ejus Verſibus admirabilius, aut quod magis cum antiquitate ipſa certare videatur? quos quum legas, nullo negotio te aliquid ſimile efficere poſſe confidas, at quum expertus fueris, fruſtra elabores, atque ab incepto deterrearis. Primus ille viam munivit ad optimorum poetarum imitationem in Epigrammate ſcribendo; quam rationem ſecuti plures non exiguam ſibi laudem, licet in re tenui, peperere. Lectu etiam digna ſunt nonnulla, quæ ado-

leſcens Etruſcis carminibus luſit: mollia ſunt, arguta, candida, & omnino ad Franciſci Petrarchæ normam efficta. Ex quibus omnibus facile intelligitur, quam teretes, religioſaſque aures habuerit, quam limato, & acri judicio fuerit: quum & optimos tantum ſcriptores perlegeret, ac deterioribus ita infenſus eſſet, ut multa Martialis volumina, non ſine diris atque exſecrationibus, ſtato die quotannis incenderet. Quo tamen facto in multorum incidit reprehenſiones, qui videlicet acerbe ferrent, eum poetam deſpicatui haberi, quem & ipſi vehementer probarent, &, ſi diis placet, Catullo etiam anteponerent. Nec minorem in eum invidiam excitavit Epiſtola quædam, diſſimulato auctoris nomine a Franciſco Aſulano emiſſa, in qua NAUGERIUS adverſus Volcatii Sedigiti ſententiam graviſſimis argumentis contendit, Latinæ Comœdiæ principem, longeque Plauto excellentiorem poetam, Terentium haberi oportere. Sed quemadmodum obtrectatores NAUGERIO non defuerunt (quod fatum eſt clariſſimorum virorum) ita laudatores quamplurimos habuit; qui quum præſertim de mortuo loquantur, nulla ſuſpicio eſt, eos amicitiæ cauſſa eſſe mentitos.

JA-

JACOBI, SIVE ACTII SINCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI*, VIRI PATRICII, VITA.

LAEUMELLINA Ciſalpinæ Galliæ regio eſt, in Ducis Mediolanenſis ditione. Ejus fines ab Oriente, Ticino flumine; a Meridie atque ab Occaſu ſolis, Pado & *Seſſite; a Septemtrionibus, Novarienſi agro terminantur. Ea quum pluribus caſtellis & vicis diſtincta eſt, tum pagum continet nobiliſſimum, foſſis, aggeribus, portiſque munitum, opibus vero frequentiaque incolarum cum paucis conferendum, ut omnino urbis inſtar eſſe videatur: SANCTUM NAZARIUM appellant. Nomen invenit (niſi conjectura fallor) e viro fortiſſimo, qui patre Africano natus, Neronis Cæſaris temporibus maximos cruciatus toleravit, ſeque acriter morti obtulit, ut pro CHRISTI doctrina, quæ tum primum proferebatur, contra veterem gentium ſuperſtitionem propugnaret. Hujus reliquiæ corporis, quum diutius

* *Et Seſſite*) Ita Plinius appellare videtur lib. 3. cap. 16. flumen quod a recentioribus *Seſia*, vel *Sicida* vocari conſuevit.

tius ignoratæ latuiſſent, Mediolani tandem a Divo Ambroſio, illius civitatis Antiſtite, repertæ ſunt, ſtatimque a populo ſumma religione coli cœptæ: qui cultus adhuc non in urbe ſolum, ſed etiam in finitimis locis, feſtis inſtitutis diebus, conſtantiſſime retinetur. In eo pago, ſtirpis antiquitate, divitiarum ſplendore, rerumque geſtarum gloria ceteris longe præſtitit SANNAZARIORUM familia; quæ ab ultimis Hiſpaniæ regionibus illuc profecta, eas copias paullatim, eamque amplitudinem conſecuta fuerat, ut immoderatæ Vicecomitum potentiæ ſola obſiſtere poſſe videretur. Hoc genere procreatus Nicolaus Sannazarius, Carolum III. Dyrrachinum, ex Andegavenſibus principibus, qui anno poſt CHRISTUM ortum cIↃ cccLxxx. ab Urbano Pontifice evocatus, eo conſilio in Italiam venerat, ut regno Neapolitano potiretur, tribunus militum ſecutus eſt; pulſiſque demum hoſtibus, ob ſingularem virtutem, præclaraque in eo bello edita facinora, nonnulla in Lucanis caſtella a Rege victore, beneficii loco accepit. Jacobus vero Nicolai F. Ladislao Caroli F. ſtrenuo adoleſcenti, cui patris morte regnum obvenerat, triſtiſſimo ac difficillimo ejus tempore, utilem adeo operam præbuit, eique ad fugandum Ludovicum Andegavenſem ita præſto fuit, ut Petrinum, ſeu Montis Draconis rupem, apud quam olim Sinueſſa

ſita

ſita erat, bonam item Falerni agri partem, Maſſicos montes, oppidulumque ad Vulturni oſtia, prope Linternum illud vetus, P. Cornelii Scipionis Africani ſeceſſu & ſepultura nobilitatum, amiciſſimi Regis voluntate poſſidere cœperit, remque paternam æque, ac veterem avorum gloriam mirum in modum amplificaverit. Sed, ut rerum quæ ex fortuna pendent, varia commutabiliſque ratio ſolet eſſe, paucis poſt annis Ladislaus, vigenti admodum ætate, nullis relictis liberis, exceſſit e vita. quo defuncto, Joanna ſoror ejus, impotenti animo mulier, & cujus mores plurimum a fraternis abeſſent, regni adminiſtrationem ſuſcepit. Hæc, quum ſentiret, ſe odioſam eſſe illis qui vivo fratre, honoribus & gratia in aula floruiſſent, eos inſectari numquam deſtitit, donec dignitate omni per ſummam injuriam ſpoliatos, bonis avitis & patriis funditus everteret. Jacobus igitur ex beato repente miſer, tenuiſſimum patrimonium Jacobo Nicolao filio reliquit, quo vix principis civis perſonam, ampliſſimæque familiæ nobilitatem tueri poſſet. Is tamen, caſus adverſos, ut poterat, ſapienter modeſteque ferens, uxorem duxit Maſellam a Sancto Mango, civem Salernitanam, vetuſto & nobili genere ortam, ex qua JACOBUM, cujus potiſſimum cauſſa hæc omnis mihi inſtituta narratio eſt, ac Marcum Antonium liberos procreavit. Natus

tus eſt JACOBUS hic noſter Neapoli, anno a CHRISTI adventu ɔɔ ccccLVIII. feſto die SANCTI NAZARII, V. Kal. Sextilis: quod ipſe clariſſimis carminum ſuorum monumentis non ſemel teſtatum eſſe voluit. Per id tempus Alphonſus Aragonius, Rex Neapolitanus, cognomento Victor, qui a Joanna Regina adoptatus fuerat, vir bellica laude maxime præſtans, paciſque artibus ornatiſſimus, mortem obiturus, Ferdinando filio ex nobili concubina ſuſcepto regnum tradidit. Tum & ſtellæ crinitæ, quas Græci cometas appellant, & prodigia multa in cælo viſa; quæ tamquam futurarum ſigna calamitatum vulgi animos perterrebant. Bellorum deinde motus tota Italia excitati ſunt: quibus privatorum bona direpta, liberi homines in ſervitutem abducti, exercitus ſæpe magni occidione occiſi. Multa præterea oppida terræmotibus corruére, florentiſſimiſque urbibus peſtilentiæ vi ſolitudo & vaſtitas illata eſt. SANNAZARIUS igitur peſſimis auſpiciis vitam exorſus, quum per ætatem nondum ipſe ſibi proſpicere poſſet, patrem amiſit; matrique in tutelam traditus una cum fratre natu minore, fortunæ iniquitatem experiri cœpit. Mater ejus, virilis animi femina, quum ſe in tantas rei familiaris anguſtias adductam videret, neque haberet, unde ſibi ſuæque familiæ ſumtus liberales ſuppeditarentur, maxime pro urbis

bis Neapolis opulentia & dignitate, extrema filiorum pueritia in Picentinos conceſſit, Nuceriæque Paganorum domicilio collocato, ibi parce admodum continenterque vivebat. Eo in oppido JACOBUS, ut erat eximio ingenio, & ad colendam poeſim aptiſſimo, Librum illum ſuum vernaculo ſermone fertur inchoaſſe, quem paſtorum luſibus amoribuſque refertum, ARCADIAM inſcripſit. Antequam vero Neapoli excederet, Juniani Maji, celebris eo tempore ludimagiſtri, domum frequentaverat, a quo Latinis Græciſque litteris diligenter imbutus eſt. Is porro quanto in honore ſemper fuerit apud gratum memoremque beneficii diſcipulum, SANNAZARII Carmina paſſim declarant, in quibus Majus doctiſſimis hominibus annumeratur, & ob ſingularem prudentiam, rerumque uſum, miris laudibus in cælum tollitur. Dolebat ſane optimo præceptori, ſummam vim ingenii, qualem ſcilicet in puero perſpexerat, ſitu veluti quodam ac pædore obſoleſcere, neque in principum virorum conſpectu, pulcherrimæque urbis luce poſitam eſſe; iccirco Maſellæ *auctor fuit, ne tam egregiæ indolis filium in abdito diutius manere pateretur; ſed

R po-

* *Auctor fuit, ne . . . . . pateretur*) Hæc loquendi ratio minus Latina ſit oportet, ſi Paullo Manutio auſcultare velimus, qui Comment. in Epiſt. 1. lib. 1. M. Tullii Ciceronis, pag. 6. ita ſcriptum reliquit: *Addo illud*, Auctorem *dici, non qui hortatur, ne quid fiat, ſed qui hortatur, ut fiat. Itaque*, Auctor, & Diſſuaſor *Cicero opponit: ceteraque ejuſdem, atque etiam aliorum exempla ad*

potius, copiolis omnibus quæ illi reliquæ essent, contractis, JACOBUM Neapoli ingenue liberaliterque educandum curaret. brevi enim fore ajebat, ut sumtus in ea re facti, amplioribus longe commodis, quæ plerumque studiosorum adolescentium industriam consequi solent, abunde compensarentur. Paruit fideli consilio materfamilias, & primo quoque tempore cum liberis Neapolim venit. Florebat ea tempestate in celeberrima urbe Joannes Pontanus, vir disciplinis omnibus, & præcipue illis quibus juvenum animi ad humanitatem informantur, præter ceteros excultus atque expolitus. Ad hujus domum, tamquam ad certissimum Musarum & Sapientiæ templum, flos nobilitatis & juventutis Neapolitanæ undique confluebat: & cuicumque adolescenti bona de ingenio suo spes esset, is neminem alium, nisi Pontanum, studiorum suorum hortatorem quærebat. Quapropter non defuere, qui Pontani Academiam (sic enim ipse lectissimorum ingeniorum concilium illud cœtumque appellabat) equi Trojani simillimam fuisse dicerent; ex qua scilicet non quidem belli duces, urbiumque expugnatores, at egregii poetæ, summique oratores plurimi in aper-

ad affirmationem semper, numquam ad negationem spectant. Quæ tamen regula maxime luculento Bruti ad Ciceronem exemplo falsa esse deprehenditur, qui Epistola 15. libri Epist. Ciceronis ad Brutum, hoc pacto scribit: *Nam illi* (Antistio) *ita sentienti de republica magnopere* AUCTOR *fui*, NE *differres tempus petitionis suæ.* Ipsique M. Tullio Epist. 27. lib. 11. ad Famil. Matius dicitur NON *suscipiendi belli civilis gravissimus* AUCTOR.

pertum prodierint. Conſuetudo autem erat, ut quicumque bonarum artium cupiditate inflammatus ad maximum virum ſe applicuiſſet, novum ſibi nomen imponeret, ex antiquitate depromtum. putabant etenim, ejuſmodi nomina & plus dignitatis in ſe continere, & blandius quodammodo jucundiuſque in aures influere poſſe. Quo tamen facto nonnulli cenſoriæ gravitatis homines vehementer offenſi ſunt; quibus nimirum Chriſtiana lædi pietas, & majorum inſtituta convelli videbantur, ſi, nominibus quæ ſanctiſſimorum virorum olim fuiſſent, penitus abjectis, in eorum locum alia ſupponerentur, quæ profanarum gentium memoriam renovarent. Sed pleræque res in hominum vita, quæ neque ſummam honeſtatem, neque rurſus inſignem turpitudinem adjunctam habent, perinde ſunt ut accipiuntur; nec quidquam adhuc in eo genere vel a ſapientiſſimis excogitari potuit ita elegans atque perfectum, ut nullos omnino reprehenſores invenerit. Pontanus igitur, quo reliquos exemplo excitaret, Jovianus appellari voluit: SANNAZARIUM vero jam pridem in familiaritatem receptum, ACTIUM SINCERUM ex eo nominavit, quod ille princeps ex Latinis bucolico poemate piſcatores de amoribus ſuis in *acta* colloquentes induxiſſet, & quod ſine fuco & fallaciis vitam ageret, nec aliud clauſum in pectore, aliud in

lingua promtum haberet; amaretque puram & ſimplicem dicendi formam, in qua ſcilicet ipſius ingenium & mores apertiſſime elucebant. Quæ vero argumenta impulerint Paullum Jovium, ut monumentis traderet litterarum, a SANNAZARIO avitum gentilitiumque nomen repudiatum fuiſſe, equidem ignorare me fateor. Nam licet JACOBUS, ubi conventus amicorum iiſdem ſtudiis gaudentium, aut feſtiva aliqua ſcriptio, hilaritatem & jocos poſtulare videbatur, illo altero nomine ſæpius uteretur, non tamen ad eas ineptias umquam deſcendit, ut proprium clariſſimæ familiæ vocabulum aſpernaretur. immo vero, id ſibi magno ornamento eſſe, & apud poſteros fore, exiſtimans, optimis verſibus commemorare ac celebrare non deſtitit. Quum igitur ad eximiam ingenii ſuavitatem eas artes adjunxiſſet adoleſcens, quæ duros etiam & agreſtes homines mollire ac mitigare conſueverunt, incidit in amorem formoſiſſimæ puellæ, nobili genere ortæ, quam * Carmoſinam Bonifaciam appellabant. SANNAZARII autem, & Bonifacii, quod ejuſdem vicinitatis eſſent, in idem quoque concilium Portæ Novæ adſcripti erant. Hujuſmodi concilia Neapolitani *ſedes* vocant. quum enim propter urbis magnitudinem cives nobiles domiciliis

* *Carmoſinam Bonifaciam*) Ipſe vero Sannazarius, aliique ejus temporis poetæ *Harmoſynem* vocant.

ciliis inter se distantes, vix unum in locum convenire possent, de republica consultaturi, urbs in quinque regiones distributa est, quarum singulis suam veluti curiam esse voluerunt, in qua viri primarii proxima loca incolentes, sententiam dicerent, & suffragia ferrent. Ut autem omnis ejusmodi amor anxius & sollicitus est, variasque animis perturbationes afferre solet, SANNAZARIUS noctes atque dies miserrime afflictabatur, non enim illi puella mutuam voluntatem tribuebat, sive id pudicitiæ custodiendæ causa faceret, sive quod ad formosam pertinere arbitraretur, amatorem sævitia excruciare. In tanta igitur acerbitate postremum illud adolescenti perfugium relinquebatur, plenis querelarum carminibus modo levitatem suam, modo puellæ crudelitatem, modo fortunæ vim atque imperium accusare; quod quidem egregie præstitit magno breviorum poematum numero, hac recentiori Italica lingua scriptorum, quæ maxime omnium Latino epigrammati respondere existimantur. Aliud etiam genus frequentavit, argutis concinnisque sententiis cum superiore fere conveniens, quod vero ad circuitum verborum, numerorum varietatem, figurarumque splendorem attinet, longe copiosius. Hoc veteres Græci ὠδὴν, Itali multis post sæculis *cantionem* dixere. Utroque genere SANNAZARIUS ita excelluit, ut scriptores fere omnes qui-

quicumque a Franciſci Petrarchæ obitu uſque ad ſua tempora lyricam Italorum poeſim excoluerant, de gloriæ poſſeſſione deturbaverit. Non minimum enim deſciverant illa ætate ab elegantia ſcribendi, contemtiſque antiquiorum exemplis, novam quamdam rationem excogitaverant demulcendi aures imperitorum, quæ, corruptis judiciis, longe lateque diffundebatur. Acute quidem rem inveniebant, (id quod etiam barbari perſæpe faciunt) ſed inventam expolire nequaquam poterant, in quo vis omnis eloquentiæ ſita eſt. Sententiæ plerumque improbabiles erant, contortæ, nimis exquiſitæ; verba inculta, horrida, ex trivio arrepta; numeri laxi, fluctuantes, diſſoluti; tota denique oratio neque nervis colligata, neque articulis diſtincta, ut rudem inopemque conſilii ſcriptorem facile agnoſceres. Magna igitur SANNAZARIO laus debetur, quod & quanto in errore homines verſarentur, aut unus, aut certe cum paucis animadverterit, & ad veterem penituſque inſitam opinionem ex eorum animis evellendam ſummo conatu aggreſſus fuerit. quæ quidem res ipſi ex ſententia ſucceſſit; paullatim enim ſanum ac ſplendidum orationis genus non juventuti ſolum, ſed etiam iis qui turpiter aberraverant, vehementer probari cœpit. & quod a SINCERO tamquam primis lineamentis inchoatum, adumbratumque fuerat, id poſt-

ea

ea Petrus Bembus incredibili ſtudio, labore, diligentiaque perfecit. Quum hæc SANNAZARIUS meditaretur, matre optima orbatus eſt; cujus immaturum interitum in ARCADICIS luſibus elegantiſſime deploravit. Ut autem puellæ, propter quam curis vigiliiſque angebatur, ſi poſſet, memoriam omnem deponeret, in ultimam Galliam profectus eſt; quam regionem ARCADIAE nomine ferunt ab eo involutam fuiſſe. Ibi quum aliquamdiu moratus eſſet, ſentiretque in dies ægritudinem augeri, neque amicæ, patriæque deſiderium ferre amplius poſſet; quæ amantium inconſtantia eſt, magnis itineribus Neapolim rediit. At huic gravi diuturnoque morbo triſtiorem medicinam fortuna oppoſuit; SANNAZARIO enim abſente, Carmoſina, nondum ætate provecta, de vita migraverat. Qui caſus quantum amatori luctum attulerit, ſatis indicant ECLOGAE Italica Latinaque lingua conſcriptæ, quibus Phyllidis mortem deflet; ſic enim ipſi amores ſuos obducere ac velare placuit. Quum itaque ejus ingenii fama, quæ per omnium fere civium aures pervaſerat, in domum Ferdinandi Regis perveniſſet, Federicus Regis filius natu minor, juvenis poetarum ſtudiis mirifice deditus, eum ad ſe cupide arceſſitum tectis ac ſedibus ſuis recepit, præcipuaque benevolentia proſecutus, in intimis & familiariſſimis ſemper habuit. Præ ceteris

teris autem poeſeos generibus, regium adoleſcentem ſpectacula illa capiebant quæ veteres mimos quodammodo ſalibus & jocis exprimerent. quapropter SANNAZARIUS, ut erat ingenio ad excogitandum promtiſſimo, novis lepidiſque fabulis fingendis docendiſque, ei quotidie gratior acceptiorque fiebat. Proavorum temporibus adhuc in manibus erat libellus quidam a SINCERO exaratus, facetiarum ac feſtivitatis pleniſſimus, quem vulgus Neapolitanum, Gliomerum appellabat. in eo ſcilicet collecta erant rudia & obſoleta verba, argutæ item breveſque ſententiæ, quæ olim populari ſermone jactabantur. his auctor multa ridicula addiderat de ſuo, ut qui opus legiſſent, ab ingenioſo doctoque homine profectum, haud temere ſuſpicari poſſent. Iiſdem artibus & officiis paullatim effecit, ut ipſum Iſabella de Baltio, quæ cum Federico nupta erat, & Conſtantia ex Havalorum gente mulier ornatiſſima, bonarumque artium ſupra muliebrem imbecillitatem ſtudioſa, plurimum diligerent atque admirarentur. Hæc quum Federico, germano Iſabellæ fratri, in matrimonium data eſſet, quo die Pyrrhi Ducis Altamurani, ſoceri ſui, domum introivit, totum nuptiarum apparatum a SANNAZARIO optima ratione diſpoſitum deſcriptumque invenit. Ob eamdem ingenii præſtantiam, Ferdinando Regi, & Alphonſo Calabriæ

briæ Duci, ad quem regni hereditas pertinebat, familiaris factus est. Hunc porro imperatoria laude florentem, bello Etrusco secutus, in ejus exercitu militavit. Comitem etiam illi se præbuit ad Hydruntum recipiendum, fugandosque Turcas, qui oppidum illud suis præsidiis occupaverant. Mox quum Ferdinandus pro Hercule Ferrariensi Duce, socer nimirum pro genero, contra Sixtum Pontificem, ejusque fœderatos arma cepisset, idem Alphonsus ad Nomenti, Tiburisque expugnationem SANNAZARIUM secum duxit; tametsi prope Lanuvium prœlio superatus, de gloria, quam maximis rebus gestis adeptus fuerat, nonnihil amisisse visus est. Si quid autem poetæ sub ipsis pellibus otii relinquebatur, id totum in scribendis epigrammatis consumebat; ex quibus unum præcipue celebratur, quo Ladislai, Regis fortissimi, & de SINCERI majoribus optime meriti, facinora complexus est. Ita, quod mirabile omnino videri debet, bellicam laudem cum litterarum studiis conjunxit; quum plerumque contingat, inscitia milites, ignavia litteratos homines laborare. Consecuta sunt deinde ejusmodi tempora, quæ florentissimam Aragoniorum familiam in extremum discrimen sæpius adducerent, regnoque tandem spoliatam, exsiliis, continuisque regum funeribus penitus perderent atque delerent. Carolus

enim Ludovici F. Galliæ Rex, acerrimo ingenio adoleſcens, & qui totius Italiæ dominatum appeteret, induxerat in animum, regnum Neapolitanum Ferdinando eripere, & ad id facinus maximas copias brevi tempore comparaverat. Sed tanta malorum mole impendente, Ferdinandus, exacta jam ætate, mortem obiit. Alphonſus vero, qui in patris locum ſucceſſerat, quum potentiſſimi hoſtis adventum formidaret, neque in populi principumque civium auxilio ſpem ullam poneret, quibus nimirum propter crudelitatem inviſum ſe eſſe intelligebat, priſtinæ virtutis oblitus, ac fortunæ cuncta permittens, in Siciliam confugit, ibique haud multo poſt e vita exceſſit. Ferdinandus itaque ejus filius, cujus mores paternis moderatiores erant, regni adminiſtratione ſuſcepta, quantum potuit, Gallorum conatibus reſtitit; quibus quum par eſſe non potuiſſet, avitumque imperium amiſiſſet, nequaquam tamen animo fractus, rei felicius gerendæ occaſionem captabat. Accidit autem peropportune, ut Carolus in Galliam reverteretur; a cujus diſceſſu ſtrenuus adoleſcens incredibili virtute, celeritate, prudentia, hoſtes prœlio fudit, remque amiſſam recuperavit. Sed perturbatum regni ſtatum componere molienti acerba mors intervenit. Ad Federicum igitur ejus patruum omnis poteſtas translata eſt. Exiſtimabant homi-

mines, nec injuria, SANNAZARIUM, qui in Regis clientela ſemper fuiſſet, neque in tantis calamitatibus ad florentem hoſtium fortunam umquam ab eo deſciviſſet, ſummum locum & dignitatis & gratiæ apud ipſum obtenturum. ſed eventus omnium opinionem fefellit. Etenim Federicus Robertum quidem Bonifacium, Balthaſſarem Pappacodam, & Antonium Griſonem, viros nobilitate inſignes, quibus familiariter utebatur, donis oppidorum ac vectigalium locupletavit, SANNAZARIO autem penſionem tantummodo largitus eſt, qua illi ſexdecim millia H-S quotannis ex ærario ſolverentur, rus item ſuburbanum, in Pauſilypi montis latere ſitum, cui Mergilline nomen eſt, ob amœnitatem magis, pulcherrimumque Tyrrheni maris proſpectum, quam ob fructuum ubertatem, a ſuperioribus Regibus in pretio habitum. Aegre admodum tulit JACOBUS, officiorum ſuorum, diuturnique ſervitii tam exiguam ſibi mercedem tributam, ſeque illis poſthabitum quos ipſe fide benevolentiaque adverſus dominum (ut quidem arbitrabatur) aut ſuperaſſet, aut certe adæquaſſet. nec ſibi temperare potuit, quominus arguto epigrammate muneris tenuitatem Regi exprobraret, agricolam ab eo ſe factum, non obſcure conqueſtus. At poſtea loci deliciis captus, Mergillinem ſuam laudibus in cælum extulit,

tulit, Regemque ipſum liberalitatis nomine celebravit. Otioſam tamen & quietam ætatem ſine periculis & laboribus ei diutius agere non licuit; etenim quadriennio poſt, Ludovicus, qui e Duce Aurelianenſi Rex Galliæ in locum Caroli creatus fuerat, & Ferdinandus Hiſpaniæ Rex, Alexandro Pontifice Maximo ſuadente, contra Federicum conjurationem fecere, ut eum communibus copiis regno pellerent. Oppreſſus itaque hoſtium viribus Federicus, ac regni poſſeſſione ſpoliatus, in Galliam ad Ludovicum abire maluit, quam apud Ferdinandum exſulare. hunc enim, ob conſanguinitatis jura nefarie violata, vehementer oderat. Eo caſu præclariſſimum fidei, conſtantiæque exemplum a SANNAZARIO proditum eſt. Nam quum pauci omnino Regem in exſilium ſecuti eſſent, & ex his quoque nonnulli, eo relicto, domum rediiſſent, ipſe ab ejus latere numquam diſceſſit, cumque eo tamdiu fuit, dum ille curis ac mærore confectus, mortem oppeteret. Quodque incredibile multis videri poſſit, antequam iter ingrederetur, quum oppidula duo, & portorium, quod ſexto ab urbe lapide collocatum incolæ Gaudellum appellabant, vendidiſſet, quadringenta viginti ſeſtertia ex venditione collecta, libentiſſime Regi obtulit, vix exigua tantæ pecuniæ parte ad vitæ neceſſitates ſibi reſervata. Neque vero exſtinc-

cti memoriam colere umquam deſtitit, ſed & in ejus funere ingentem lacrimarum vim profudit, & qui in eo perdendo operam ſuam omnem ſtudiumque poſuerant, in hoſtium numero habuit, apertiſſimoque odio ſemper proſecutus eſt. Veriſimile autem videtur, Elegiam illam tertii libri quam ipſe tamquam ad Federicum miſſam in vulgus edidit, poſt Regis mortem conſcriptam fuiſſe; in ea enim de ejus exſilio ac ſepultura mentio fit. ſed fortaſſis poeta ideo ſimulatione uſus eſt, ut ſcilicet Cajetæ vaticinium majorem iis qui legiſſent, admirationem moveret. Jam omnibus pietatis officiis diligentiſſime perſolutis, quum patriæ deſiderio teneretur, Neapolim rediit, anno poſt CHRISTUM ortum cIↃ IↃ v. Non eſt autem ſilentio prætereundum, vetuſtiſſimos codices, multiſque antea ſæculis inviſos, a SINCERO e Gallia in Italiam fuiſſe allatos; particulam videlicet Ovidiani poematis de Piſcibus, Gratii Faliſci, & Olympii Nemeſiani carmina de Venatione, Rutilii Numatiani Itinerarium; necnon Valerii Martialis, Auſonii, & Solini ſcripta, iis quæ vulgo circumferri ſolerent, emendatiora. Neapoli porro (ut erat inſigni morum elegantia, quam ex principum virorum familiaritatibus hauſerat) Joannam Reginam præcipue coluit atque obſervavit. Quum autem regia in domo aſſidue verſaretur, Caſ-

ſan-

ſandræ Marcheſiæ, ingenio ac forma præcellentis puellæ, e comitatu nobilium mulierum quæ circum Reginam erant, amore captus eſt. Hæc ſibi Joannæ voluntatem pudoris ac modeſtiæ ſignificatione præ ceteris conciliaverat. Non tamen, ut ſæpius fit, fœdis perturbationibus agitabatur SANNAZARIUS, ætatem illam jam prætergreſſus quæ maxime libidinum imperio ſubjecta eſt: at veterum Platonicorum more, occultam animi pulchritudinem ex corporis dignitate conjiciens, in ejus potiſſimum contemplatione mentis oculos defigebat. Igitur omni dictorum factorumque turpitudine procul amota, ea tantummodo puellæ præſtabat officia quæ virtuti nihil officere poſſe viderentur. Nec rivales moleſte tulit. quum enim Alphonſus Caſtriota, vir primaria nobilitate, eodem tempore Caſſandram amaret, & ut firmius puellæ animum ſibi adjungeret, pollicitus ei eſſet, ſe illam uxorem ducturum, ipſumque poſtea promiſſi pœnituiſſet; omnes nervos contendit SANNAZARIUS, ut Leo X. Pontifex Maximus, matrimonium ratum haberet, neque Alphonſum juramento ſolveret; uſuſque in eo eſt auctoritate Petri Bembi, qui tum Pontifici ab epiſtolis erat. ſed quum ob nimiam adverſariorum potentiam, optata impetrare non potuiſſet, iniquiore in Leonem animo poſtea fuit. Quemadmodum

dum vero iis iratum ſe præbuit quorum conſilia & mores plurimum a ſuis diſtare cognoviſſet, ita multorum amicitiis floruit qui eodem ſtudio litterarum, veritatis, & conſtantiæ tenebantur. Caros ideo in primis habuit e Neapolitanis civibus, Franciſcum Pudericum, acerrimo judicio virum, qui quamvis oculis captus, quid pulchrum, quid rectum eſſet in ſcriptis poetarum oratorumque, egregie dijudicare poterat: Lucium Craſſum, antiquitatis ſtudioſiſſimum: Petrum Compatrem, Hieronymum Carbonem, Thomam Fuſcum, Rutilium Zenonem, Joannem Franciſcum & Marinum Caracciolos, Joannem Sangrium, Antonium Garlonium Allifarum Ducem, Trajanum Cabanilium Trojæ ac Montellæ Dominum, Chariteum, Andream Matthæum & Beliſarium Aquivivos, alterum Hadriæ, alterum Neritinorum Ducem; qui omnes elegantioribus Muſis mirifice dediti erant: Petrum item Summontium, qui res Neapolitanorum litteris mandavit, Alexandrum ab Alexandro Juriſconſultum, hominem liberalibus doctrinis politiſſimum, Hieronymum Seripandum Cardinalem, Ferdinandum Havalum, Piſcariæ Ducem, imperatoremque fortiſſimum; a quibus contra impenſe diligebatur, maximique fiebat. Summa etiam illi neceſſitudo fuit cum Joanne Pardo Hiſpano, Philoſopho præſtantiſſimo, & cum Antonio

nio Galateo Appulo, qui medicinæ operam dabat. Coluit præterea omnibus officiis Joannem Pierium Valerianum Bellunenſem, Julium Senenſem, Michaelem Marullum Byzantinum, Bartholomæum Scalam Florentinum, Gabrielem Altilium in Lucania natum, Petrum Gravinam Siculum, Elyſium Calentium Appulum, Aegidium Viterbienſem Cardinalem, Ludovicum denique Montaltium Syracuſanum, viros ingenii laude, vitæ innocentia, morumque ſuavitate ſpectatiſſimos. Ex Venetis, Petro Bembo, qui tum in litteris regnabat, & Marco Antonio Michaelio, plurimum tribuit. Aldi quoque Manutii, hominis de politiori antiquitate præclare meriti, induſtriam atque eruditionem valde ſuſpexit, cui & ARCADIAM ſuam typis divulgandam permiſit. Dilexit & complures alios; quos ſingulos enumerare nimis longum, atque adeo injucundum foret. Quos autem ſemel in amicitiam recepiſſet, iis uſque ad extremum ſpiritum inviolatam fidem ſervavit; neque umquam commiſit, ut aut beneficiorum oblitus, aut in difficultatibus periculiſque amicorum lentus ac negligens videri poſſet. Hanc ſane fidelitatis conſtantiæque laudem, tamquam ipſius propriam & ſingularem, omnes, ne inimicis quidem exceptis, ACTIO SINCERO tribui debere, una voce prædicabant. Erga Jovianum Pontanum,

quo

quo ſtudiorum ſuorum impulſore in juventute uſus erat, ita ſemper animatus fuit, ut erga ſemetipſum; & quamquam illum carminis dignitate, Latinique ſermonis elegantia procul dubio ſuperaviſſet, nihilominus, quoties occaſio oblata eſſet, de illius ingenio, eruditione, ſapientia, cum familiaribus honeſtiſſime loquebatur. Hujus etiam ſcripta e domeſticæ bibliothecæ tenebris primus in lucem evocavit; adhibitis ad eam rem Franciſco Aelio, Petroque Summontio, viris eruditiſſimis. multorum profecto diſſimilis, qui poſtquam ſine cortice natare didicerunt, ut in veteri proverbio eſt, ac nonnullam dicendi facultatem adepti ſibi videntur, eos quorum opera profecerunt, non ſolum præ ſe contemnere, ſed etiam vehementius inſectari ſolent. Ea præterea SANNAZARII probitas fuit, ut quadam epiſtola ad M. Antonium Michaelium data, ſe pluribus quidem ſaluti fuiſſe, nemini vero umquam nocuiſſe, gloriari potuerit. quæ laus una ceteris omnibus merito anteponenda eſt. A litibus ſummopere abhorruit; videbat enim, nihil magis animi tranquillitati, ſtudiiſque rectioribus adverſari, quam ſtrepitum fori, vulgariumque hominum concertationes. Juſtitia quantum ab ipſo culta ſit, non uno argumento cognoſci poteſt. Quo primum tempore Gallica natio Neapolitanum regnum invaſerat,

nulla æqua judicia fiebant; qui provinciis præerant, maleficio & scelere pascebantur; nobilium bona publicabantur; cuncta denique ex victorum libidine, non ex legis ratione gerebantur. SANNAZARIUS tanta rei atrocitate commotus, egit sedulo cum Petro de Roccaforti, cujus fidei negotia regni Galliæ commissa erant, ut ejus apud Regem auctoritate modus injuriis aliquando statueretur; ad quem etiam Elegiam misit, in qua scilicet Astræam cum ipso conquerentem inducit. Cæsarem Borgiam, Ducem Valentinum, tyrannorum crudelissimum, quem præceps atque effrenata regnandi cupiditas ad pessima quæque suscipienda facinora quotidie impellebat, probrosis carminibus maledictisque vexavit; & de ejus tandem pernicie lætitiam apertissime tulit. Nebulones, parasitos, comessatores, & qui ad cædem faciendam pretio conducti latrocinia in urbibus exercent, ac noctu diuque cum telo ambulant, maxime oderat. Nec eorum mores probare poterat qui licet ingenioſi, doctrinaque exculti, reliquos tamen omnes infra se ducerent. quamobrem & Politiano infensior fuit, eumque binis epigrammatis laceravit, quod nimirum, vir alioqui doctissimus, se insolenter efferret, (ut SINCERO quidem videbatur) &, quemadmodum olim Quintus ille Palæmon, secum natas, secumque morituras litteras arbitraretur. at diffiteri

fiteri nolim, inimicitias quas cum Michaele Marullo, & Bartholomæo Scala, Marulli ſocero, Politianus gerebat, præcipuam SANNAZARIO odii cauſſam fuiſſe. Pietate ac religione in Superos nemini conceſſit. Quum enim Aegidium Viterbienſem, Auguſtinianæ familiæ Monachum, improbos homines acerrima concione objurgantem audiſſet, ac neſcio quo Virgilii verſiculo, quo ille opportune ad faciendam fidem uſus erat, mirabiliter ſe affici ſenſiſſet; gravem illum virum diligere, omnique officiorum genere proſequi cœpit: ac deinde rerum divinarum amore inflammatus, egregium illud DE PARTU VIRGINIS poema inchoavit, quod omnium ſæculorum poſteritas admirabitur. Ne autem aliquid prætermitteret quod ad cultum ſanctiſſimæ DEI OPTIMI MAXIMI Genitricis pertineret, in ſcopulis Mergillinæ templum ædificavit, ejus divini partus memoriæ ſacrum, cui templo Monachorum Collegium adjunxit, qui ſe MARIAE Servos appellant; iiſque prædia reliquit, ex quibus octo millia H-S in ſingulos annos perciperent, ad feſtos dies anniverſarios agendos, & ut Federici Regis, ACTII SINCERI, ejuſque parentum peccata, DEUM quotidie precando, expiarent. Divo quoque NAZARIO ſacellum exſtruendum curavit. Præ ceteris vero cæleſtibus, Auguſtinum maximum illum Theologum,

Gaudioſum, Jacobum Picenum, atque Antonium Luſitanum, cujus ſepulcrum Patavii poſitum toto orbe terrarum celebratur, a SANNAZARIO in honore habitos fuiſſe, quum ex ipſius poematis apparet, tum ex aliorum teſtimoniis conſtat. Non tamen pietate impediebatur, quominus in ſtudiis humanitatis ac litterarum verſaretur; ſed amicis qui ad eum ventitabant, ſemper novum aliquod epigramma, ſalis atque urbanitatis plenum, aut elegiam recitare ſolitus erat, quæ nitore atque elegantia cum antiquorum ſcriptis certare poſſet. In hoc genere Propertium ſibi ad imitandum propoſuit, candidum ſane poetam, Græcorumque ornamentis abundantem; cujus tranſmarinos lepores nativa quadam Tibulli, & Ovidii ſuavitate paſſim temperavit. Quum vero ad heroicum poema aggreſſus fuiſſet, nuſquam a Virgilii magnitudine dejiciebat oculos, quem adeo admirabatur, ut ejus natalem diem quotannis ſollemni convivio cum familiaribus celebraret. Numerorum poeticorum ſcientiam, ei qui in ſcribendo carmine excellere velit, maxime neceſſariam, at multis antea ſæculis ignoratam, unus perfecte calluit, ac reliquis exemplo monſtravit. de qua ipſum diſputantem, quamvis eo tempore admodum adoleſcentem, Pontanus inducit in eo dialogo cui Actio nomen eſt. Qua potiſſimum re, tanta SANNAZARIO deberi glo-

gloria mihi videtur, quantam conſecutus eſt Bembus, quod homines ad M. Tullii ſcripta diligentius evolvenda primus excitaverit. In opus DE PARTU VIRGINIS perpoliendum infinitos pæne labores inſumſit, illudque perpetuis annis viginti accuratiſſime caſtigavit; lucubrationum ſuarum triſtis ac moroſus omnino cenſor. Et quamquam ſubtili judicio præditus eſſet, quo & a pravis recta, & a mediocribus optima diſcernere poſſet, ipſe tamen ſibi diffiſus, ad Franciſcum Pudericum, doctiſſimum ſenem, aſſidue veniebat, cumque illo de verſibus a ſe nuperrime factis communicabat. Quem ferunt auribus adeo faſtidioſis fuiſſe, ut a SINCERO decem interdum verſus in eamdem ſententiam recitarentur, antequam illi plane ſatisfieret. Ob hanc nimiam in ſcribendo diligentiam, ſtatarium poetam nonnulli SANNAZARIUM nominavere, qui videlicet manum de tabula tollere neſciret. Neque ulli, dum vixit, iratior fuit, quam cuidam, qui ſcripta ejus nondum ſatis emendata furtim abſtulerat, eaque Venetiis edere conſtituerat. Quum autem Leo X. Pont. Max. de tam præclaro poemate audiſſet (erat enim res in omnium ſermone) incredibilem animo voluptatem cepit; non ſolum quod litteratorum hominum conatibus favere ſolitus erat, ſed etiam quod e re Chriſtiana fore exiſtimabat, ſi pia hujuſmodi atque

ele-

elegantia ſcripta impiorum quorumdam ſcriptis opponerentur, qui religionem a majoribus traditam, eo potiſſimum tempore labefactare, ac funditus delere cupiebant. Itaque ad SINCERUM litteras dedit, admodum honorifice ſcriptas, quibus ei ſingularem in DEUM pietatem, vimque ingenii admirabilem gratularetur, eumque ad perfectum jam opus quamprimum edendum hortaretur. Verum, offenſione exorta quam ſupra commemoravimus, SANNAZARIUS poema apud ſe continuit, dum Leo e vita migraret. quo mortuo, opus tandem typis deſcriptum, ab Antonio Seripando Clementi VII. ex eadem Mediceorum familia Pontifici, auctoris nomine oblatum eſt. Pergratum ac perjucundum ſibi munus fuiſſe, & ſe tam egregii ſcriptoris de facie cognoſcendi valde cupidum eſſe, Clemens humaniſſimis verbis Seripando ſignificavit; eique, ut juſtas debitaſque SANNAZARIO gratias ageret, imperavit. Quod etiam ipſe per litteras præſtitit, quibus immortali beneficio ſe affectum ab illo confeſſus eſt, cui pariter æqualiterque reſpondere, licet in ampliſſimo ſtatu collocatus, nulla umquam ratione poſſet. Ne autem iis dignitatibus SANNAZARIUS ornaretur, quas fortaſſe, pro meritorum ſuorum magnitudine, ſperaverat, Columnenſium bella, quibus Pontifex diſtinebatur, & ejuſdem in præmiis tribuendis lentitudo quæ-

quædam, in cauſſa fuere. Ceterum in Eclogis quoque Piſcatoriis ACTII judicium cognitum eſt. Teſtatur enim Julius Scaliger, unam ex iis, quæ nimirum ſecundo loco poſita eſt, apud ſe exſtitiſſe, in qua multa legerentur quæ poſtea ſcriptor diligentiſſimus immutaverit. Decem ab eo hujuſmodi poemata ſcripta fuerant, ſi Paullo Manutio fides habenda eſt: ſed quum ex ulteriore Gallia in patriam longo intervallo reverſus eſſet, quinque tantum in ſcriniis invenit; reliquis aut furto ſurreptis, aut negligentia ſuorum amiſſis. ARCADIAM ſuam, opus juvenili quodam fervore effuſum, ætate provectus minus probavit, eamque multorum efferri laudibus, indigne tulit. Quamvis autem poetarum ſui temporis princeps a doctis omnibus haberetur, neque ipſe in eo genere mediocritati ullum eſſe locum exiſtimaret, quos tamen ſcribendi carminis gloria olim inſignes futuros conjeciſſet, eos magnopere coluit; in quibus Joannem Cottam: cujus etiam mortem epigrammate deflevit. De ceteris ejus moribus hæc feruntur. Magno atque erecto animo fuit, & qui puſillos quoſdam obtrectatores tamquam e ſuperiore loco deſpiceret. Quapropter Lucium Joannem Scopam, ludimagiſtrum, qui plurima antiquorum ſcripta numquam in vulgus edita in bibliotheca ſua ſervari, falſo gloriabatur, ineptum ſane hominem, atque

in

in ipſum ridicule inſultantem, adeo contemſit, ut indignum omnino eſſe duceret cum quo decertaret; ejuſque audaciæ jacula levi, ut ita dicam, lateris flexu ſemper declinavit. Hanc animi magnitudinem nonnulli pejorem in partem interpretabantur: ſuperbum enim & contumacem eſſe ajebant. Nec minore conſtantia, Conſalvi Cordubenſis, qui Magnus Dux a rerum geſtarum amplitudine appellabatur, amicitiam repudiavit. Ab hoc enim, quod Ferdinandum, Federici Regis filium, ex arce Tarentina extractum, contra datam fidem in Hiſpaniam ire coegiſſet, ubi poſtea miſer conſenuit, alienum animum habebat. Qui nihilominus gloriæ cupiditate adductus, quum omnia fruſtra expertus eſſet, ut egregium poetam ſibi conciliaret, id tandem conſilii cepit, ut ad viſendum Puteolanum agrum, veterum ædificiorum ruderibus, ac ſubterraneis ignibus admirandum, eum ſibi potiſſimum ducem itineris depoſceret. SANNAZARIUS itaque tanta fortiſſimi viri comitate victus, ejus voluntati morem geſſit. Quum itaque Conſalvus iter ingreſſus, de recentibus Hiſpanorum victoriis magnifica oratione locutus fuiſſet, jamque ad ſpeluncam, in ipſo Pauſilypo monte excavatam, qua Puteolos itur, appropinquaſſent, Tempus eſt, inquit poeta, ut poſtquam res Hiſpanæ ſatis a nobis verbis ornatæ ſunt, de rebus geſtis ac virtute

tute Italorum pauca dicamus. Atque ibi de infinito prope ſervorum numero quem Romani olim ad id ſpecus effodiendum adhibuiſſent, narrare cœpit; multa de veteri hiſtoria depromens; eoque tandem, ſermonis curſu, devenit, ut diceret, Hiſpaniam, quæ olim Italorum imperio paruiſſet, longinqua converſione temporum, victoribus ſuis jugum impoſuiſſe. Hujuſmodi narrationibus delinitus Conſalvus ab eo die SANNAZARIUM majore in pretio habuit, ejuſque amicitiam ſtudioſiſſime coluit. Incredibile eſt, quantum immortali Venetorum Reipublicæ SINCERUS faverit. Hanc ſcilicet tamquam unicum antiquæ libertatis exemplum, venerabatur; multaque de ejus magnificentia & ſplendore honorate & graviter prædicabat. Eum contra Veneti, quaſi unum ex ſuis civibus, diligebant; quumque ille argutum hexaſtichum ſcripſiſſet, quo illorum Urbem Romæ anteferendam eſſe affirmaverat, tria millia H-S pro ſingulis verſibus Poetæ perſolvi juſſerunt. Ejus quoque effigies apud ipſos in veteri curia conſpiciebatur, a Titiano depicta, prope reliquas ſummorum virorum; quæ omnes coorto incendio, miſerabiliter abſumtæ ſunt. Quum ille in rerum omnium abundantia viveret, neque ei deeſſet unde largiorem ſumtum facere poſſet, habitus eſt ad rem attentior quam ſatis eſſet; duo enim tantum-

modo mancipia domi alebat, quorum alteri honestiora officia, alteri culinæ curam commiserat. Quum autem Comes Sanseverinus, qui tum loco Regis Neapolim obtinebat, ut nimiam poetæ parsimoniam perstringeret, mirari se dixisset, quomodo ille cibum capere posset quem servus adeo fœdus parasset, hujusmodi a SANNAZARIO responsum tulit: duo in illo mancipio præ ceteris munda esse, mentem nimirum, ac manus. Fallitur Joannes Baptista Crispus, Callipolitanus, a quo SANNAZARII res gestæ accurate quidem, sed omnino impolite, monumentis litterarum traditæ sunt, quum scribit, famulum illum cubicularium, Hiempsalem, coquum vero, Sannazarium, herili nomine, vocatum fuisse. res enim contra se habet; siquidem Alexander ab Alexandro in libris Genialium Dierum, narrat, servum illum ex Aethiopia, qui Sannazarius appellaretur, scitissimum adolescentem, & ob morum elegantiam libertate donatum, liberalibusque disciplinis a domino eruditum, Propertii elegias suavissima voce ad tibiam cantare potuisse; quæ omnia quantum a coqui moribus distent, facile quivis perspicere potest. Jocis ac facetiis mirum in modum delectabatur, quæ rerum graviorum tristitiam ac severitatem mitigarent. Nos ejus aliquot festiva & acuta dicta commemorabimus. Quum aliquando in conventu medicorum,

eo

eo præſente, quæſitum eſſet, quid præcipue oculorum ſenſum acuere poſſet, aliudque ab aliis magis idoneum judicaretur, ipſe *invidiam* aptiſſimum collyrium eſſe dixit; nonnulloſque Ovidii verſus protulit, quorum hujuſmodi ſententia eſt: *alienam ſegetem ſemper videri fertiliorem, ac vicinorum gregibus ubera eſſe majora*. Nullum inveniri morbum, ajebat, quo plures homines perirent, quam febri tabifica, igniculo ſpei excitata. Eos qui ob generis claritatem magnos ſibi ſpiritus ſumerent, hiſtrionibus comparabat regali trabea indutis. Librum quemdam Poggii Florentini, ſcriptoris alioqui non contemnendi, Judæi domum appellabat, quod alienis pignoribus refertus eſſet. Interrogatus a quodam, cur tam raro nobilium cœtibus intereſſet qui de republica conſultabant, ideo, reſpondit, quod ſuffragia numerari, non appendi ſolerent. Dicebat præterea, cogitationes & conſilia magnarum rerum quæ difficillime effici poſſent, eorum militum eſſe ſimillima qui miſſionem accepiſſent: iis enim ſæpenumero, quamvis uſui eſſe deſierint, ſtipendium tamen ex ærario numeratur. Antiquis familiæ inſignibus, quæ diſcoloribus ludi latruncylorum teſſellis continebantur, *proprium ſignum addiderat, urnam vi-

* *Proprium ſignum addiderat*) Ut quidem Paullus Jovius memoriæ prodidit: legendus tamen Dialogus Scipionis Ammirati, Italice ſcriptus, cui *Roſa*, ſive *delle Impreſe* nomen eſt; ubi ſcriptor elegans narrat, ſignum illud, eumque verſiculum a *Sannazario*, non ſuimet gratia excogitatum, ſed ut Marchioni Vici morem gereret, qui poſtea conqueri ſolitus erat, id ſibi per injuriam eripi a Jovio, quod ab amici liberalitate olim accepiſſet.

delicet, in quam candidos nigroſque ſcrupos veteres immittebant, ad felices infeliceſque dies notandos. Ex hac SANNAZARIUS magnum nigrorum lapillorum numerum, uno tantum candido immiſſo, pellucere voluerat, hoc urnæ inſcripto verſiculo:

AEQVABIT. NIGRAS. VNA. SED. ALBA. NOTAS

quumque a Bembo admoneretur, antiquorum urnam haudquaquam pellucidam, ſed fictilem fuiſſe, lepide reſpondit: ſuam e craſſiori vitro conflare. Statura fuit procera, & ad dignitatem adpoſita, membris ſolidioribus, facie ſubtriſti, quæ ſtudioſum hominem indicaret. Valetudine autem uſus eſt minus proſpera, perpetuoque ſtomachi languore laboravit. Ex nimiis etiam angoribus, aſſiduaque meditatione, canitiem præmaturam contraxit. Paullo poſt direptam Romam a Borbonii militibus, Neapolim atrox peſtilentia invaſerat; qua ferocius in dies graſſante, SANNAZARIUS, exacta fere ætate, ad vicum illum confugit qui olim ad radices Veſuvii ſitus erat, antequam ſubitis ignium cineriſque eruptionibus penitus obrueretur. Eo jampridem ſeceſſerat Caſſandra Marcheſia, atque ibi cælibem vitam agebat. Hujus domum, quamvis a ſuis ædibus mille paſſus diſtantem, poeta quotidie,

tidie, mulierem ſalutatum, veniebat; ut tantam amoris in ſene conſtantiam omnes vehementer admirarentur. Haud multo interjecto tempore, quum Franciſcus Galliæ Rex cum Carolo Cæſare de Neapolitano regno dimicaret, SANNAZARIUS triſtem omnino nuntium accepit: juſſu nimirum Philiberti Aurantii, Cæſariani exercitus ducis, villam ſuam Mergillinæ, cæſa prius Gallorum cohorte, quæ illic ad excubandum conſederat, a militibus fuiſſe dirutam, ne rurſus ab hoſtibus occuparetur. Ea res acerbiſſimum poetæ dolorem inuſſit, maxime quod Monachos de quibus antea diximus, honeſto illo domicilio excipere cogitaverat. Scribit Jovius, ob hujuſmodi factum, ACTIUM SINCERUM tanta in Philibertum iracundia exarſiſſe, ut quum tandem eum in pugna occiſum, audiſſet, ipſe graviter ægrotans, mortique jam proximus, libenter ſe de vita migrare teſtatus fuerit, poſtquam barbarus ille imperator violatis Muſis, quibus villa ſacra erat, interitu ſuo pœnas dediſſet. Mortuus eſt SANNAZARIUS Neapoli, omnibus quæ ad religionem pertinerent, rite ſancteque perſolutis, anno ab humano genere ſervato ↀIↃIↃXXX. annum agens LXXII. in domo Caſſandræ; ſi fides Rainerio Gualando, viro nobili, habenda eſt, qui ſe morientis lectulo adſtitiſſe, ejuſque cadaver in avitam SANNAZARIORUM

RUM domum transferendum curaſſe, affirmare ſolitus erat. Non enim audiendus Trajanus Boccalinus, qui poetam, ex animi acerbitate morbo contracto, in ſumma rerum omnium inopia, Romæ obiiſſe, ſcriptum reliquit. Antequam vero ad ſepulturam efferretur, quidam poetarum, doctorumque hominum ſtudioſiſſimus, formam capitis ejus effingi mandavit, quæ ipſius monumento marmoreo, opera Joannis Angeli Florentini, excellentiſſimi artificis, affabre ſculpto, demum impoſita eſt. Eidem tumulo Petrus Bembus hujuſmodi carmen inſcripſit:

DA. SACRO. CINERI. FLORES. HIC. ILLE. MARONI
SINCERVS. MVSA. PROXIMVS. VT. TVMVLO

In bibliotheca quoque Hieronymi Seripandi, Cardinalis, a quo maxime colebatur, vera SANNAZARII effigies, in tabula picta, olim exſtabat. Sepultus eſt in templo quod ipſe Beatiſſimæ Virgini, DEI Genitrici, vivens dicaverat; funus procurante Caſſandra. Nullos omnino reliquit liberos. Unicum vero filium, quo ſe orbatum, in epigrammatis * queri videtur, ex qua muliere ſuſceperit, incertum eſt; quum ceteroqui, uxorem ab eo numquam eſſe ductam, ſatis conſtet.

* *Queri videtur*) Epigr. 18. & 43. lib. 2. quæ tamen carmina alieno luctui leniendo fortaſſe ſcripſit; qui mos poetarum eſt.

ſtet. Gens etiam SANNAZARIORUM, quæ Neapoli floruit, mortua nepte Marci Antonii, fratris ACTII SINCERI, quam Camillus Morumilius, Patricius Neapolitanus, in matrimonio habuerat, tota deleta eſt. Ita mortalium res omnes definitis temporibus concluſæ circumſcriptæque ſunt, quibus & incipiant, & ſenſim augeantur, & demum intereant: ea tantum quæ virtute atque ingenio paratur gloria, numquam ſeneſcit, unoque orbis terrarum excidio videtur poſſe aboleri. Maximo in pretio habita ſunt ad hanc uſque diem SANNAZARII ſcripta, non a vulgo ſolum; cujus judicium leve, fallax, varium, inſtabile; ſed etiam a doctiſſimis viris, & ab iis qui alienam induſtriam parce admodum laudare ſolent, ne ſuæ quodammodo detrahere videantur. In primis vero Eclogæ Piſcatoriæ omnium admirationem promeritæ ſunt. Elegantia certe poematum SANNAZARII pleroſque a ſcribendo Latino carmine deterruit: Bembuſque ipſe, quamvis id optime facere potuiſſet, libris ejus perlectis, ad Etruſcam poeſim colendam totum ſe contulit. Quicumque poſtea heroicum poema attingere voluerunt (ſi Fracaſtorium, & Vidam excipias, homines doctrina atque ingenio ſingulari) longe infra SINCERUM ſubſtitere. Aegre ferebat Seripandus, Cardinalis, opus DE PARTU VIRGINIS, tanta

ta cura elaboratum, non a pueris in ſcholis ediſci, quum Aeneidi Virgilianæ orationis majeſtate prope par eſſet, argumenti autem dignitate etiam antecelleret. Non me fugit, Deſiderium Eraſmum Roterodamum, cui ſubinviſa erat Italorum gloria, nodum in ſcirpo quæſiviſſe, ac SANNAZARIUM reprehendiſſe, quod rem ſacram fabulis antiquorum inculcandis commaculaverit; ſed quum Franciſcus Floridus Sabinus in libris Succiſivarum Lectionum pro egregio poeta cauſſam dixerit, qui amborum argumenta perpendent, utri potius adſentiendum ſit, ii facile dijudicabunt.

DIS-

DISSERTATIO IN LUCRETIUM.

Viro Doctiſſimo Clariſſimoque

JOANNI GRATIANO

In Gymnaſio Patavino Philoſophiæ Profeſſori Primario

JO. ANTONIUS VULPIUS S. P. D.

QUum T. Lucretii Cari, poetæ nobiliſſimi, ejuſdemque philoſophi acutiſſimi, Libros de Rerum Natura, ad optimarum editionum veritatem diligenter exactos, meoque ſumtu typis excuſos, in publico proponere ſtatuiſſem; quod videlicet bonorum exemplarium pænuria ſtudioſos juvenes jamdiu laborare intelligerem; prorſus autem neceſſarium mihi videretur, de utilitate ex tam egregio ſcriptore capienda, quidve in ejus lectione caveri, quid contra ſeligi ediſcique oporteret, paucis exponere; tu ſtatim animo occurriſti, Joannes Gratiane, noſtri temporis philoſophorum eloquentiſſime, ad quem potiſſimum, tamquam ad judicem harum rerum maxime peritum, orationem meam omnem diſputationemque converterem. Dolueram enim ſæpiſſime, has quæ libris præponuntur, & auctoris conſilium, ſuſce-

ptique operis rationem declarant, ſive Epiſtolas, ſive, ut multis appellare libet, Præfationes, nemini ſcilicet e doctorum numero inſcriptas, ac tantum populari ſtudio commiſſas, plerumque neglectui eſſe, aut certe oſcitanter legi; quo fit, ut de incognitis rebus praviſſima quotidie judicia temere proferantur, utque eruditorum hominum labores non ea qua par fuerat, gratiæ atque honoris mercede excipiantur. Tibi igitur, præ ceteris, viro quum in veteri elegantia, tum in omnis ævi doctrina ſummopere exercitato, qualecumque hoc induſtriæ ac diligentiæ ſpecimen mittendum eſſe exiſtimavi; futurum enim ſperabam, ut nominis tui fama & celebritate, quæ ubique magna eſt, invitati complures, manum huic ſcriptioni noſtræ cupidius admoverent. Quod ſi etiam, præter te unum, qui noſtris hiſce legendis otium ſuum conſumere vellet, inventus eſſet nemo, non iccirco me laboris mei fructu, quem petiiſſem, cariturum videbam: ubi enim alia omnia adverſa atque inimica ſint, pulchrum tamen eſt, ſi minus ſucceſſum, at optimam ſaltem de diſciplinarum ſtudiis benemerendi voluntatem ſuffragio tuo graviſſimo comprobari. Sed quæ præterea me cauſſæ impulerint, ut hoc ad te litterarum darem, breviſſime, ſi potero, exponam. Audiebam te admodum adoleſcens, ſumma juventutis frequentia,

tia, in hoc Patavino Gymnaſio e ſuperiore loco philoſophiæ decreta illuſtri cum laude tradentem: audiebam doctorum virorum honeſtiſſimos de te tota urbe ſermones: audiebam quæ de ingenii tui magnitudine, de tua in veterum recentiorumque phyſicorum commentariis evolvendis aſſiduitate ac ſollertia, de iſta præcipue, in homine philoſopho plane admirabili, qua ad Tullium proxime accedis, facultate dicendi, apud exteros eſſet opinio. Videram libros tuos quos *de Rebus Geſtis* invictiſſimi ducis *Franciſci Mauroceni Peloponneſiaci*, tum quos *de Thermis Agri Patavini* copioſe atque ornate conſcripſeras; & quamvis ea ſubſidia omnia quæ ad recte judicandum requiruntur, nondum mihi per ætatem comparare potuiſſem, quo tamen in pretio habendus eſſes, ex ipſis librorum argumentis non inanem conjecturam faciebam. Acceperam etiam a majoribus natu, numquam te affinem fuiſſe earum rerum quas fert adoleſcentia; numquam, turpe otium atque inertiam ſecutum, corporis voluptatibus, bonorum ingeniorum peſtibus, te enervandum tradidiſſe; numquam ab honeſti rectique tramite vel tantulum deflexiſſe: at contra dies noctesque in bibliotheca tua deliteſcere, raro in foro aut in hominum conventibus conſpici ſolitum: ſemper ea meditatum quæ reipublicæ utilitatem, tibi ipſi gloriam afferre poſſent:

virilem denique a puero ſeveritatem, prudentiam, animique conſtantiam, non ſine ingenti æqualium tuorum admiratione, præſtitiſſe. Quæ quum ego attentius conſiderarem, acres mihi ad virtutem ſtimulos exemplo tuo ſubjici ſentiebam; quumque laudi tuæ incredibiliter faverem, illum aliquando diem illuceſcere optabam, quo quanti te facerem, certiſſimo teſtimonio omnino perſpectum haberes. Huic porro noſtræ, quam de tuo ingenio, doctrina, moribus, adoleſcens imbiberam, opinioni tantum abeſt ut grandior & confirmata ætas quidquam detraxerit, ut contra inſignis acceſſio facta fuerit: multa enim quæ propter judicii imbecillitatem antehac dignoſcere nullo pacto poteram, nunc demum penitus intueri licet. Hoc quidem tempore non id in te ſupra cetera admiror (quamvis id quoque vehementer admirer) quod tibi cum malis etiam hominibus commune eſſe nihil vetat; multarum nempe rerum ſcientiam cum ſingulari eloquentia conjunctam; verum præclaris illis virtutibus facile primas tribuo, quibus a te invidiam vulgi amoliris; ut nemini, niſi ſceleratiſſimo, tuam conſuetudinem, vitæque rationem reprehendendi locus relinquatur. Quam enim demiſſe de te tuiſque rebus ſentis! quam principum virorum, quorum ſecretioribus conſiliis non raro adhiberis, familiaritate innocenter uteris! quam

omni-

omnibus auxilio tuo indigentibus facilem humanumque te præbes! quam ab obtrectandi libidine, ac reliquorum contemtu abhorres! quam aliena ſtudia, honeſtoſque conatus, ac ſi tua de gloria commodiſque ageretur, quibuſcumque rebus potes, adjuvas, tueris, confirmas! Quid porro de pectoris tui candore dicam, nullo umquam malevolentiæ felle ſuffuſi? quid de oris tui verecundia, qua omnium vel qui te primum viderunt, animos tibi concilias? quid poſtremo de illa tua in amicitiis colendis admirabili fide atque conſtantia, cujus non ſemel illuſtria a te data ſunt documenta? Fuit hæc in amicos pietas, quemadmodum veteres tradidere, unum ex præcipuis Epicuri decretis, haud paullo gravioris philoſophi, quam vulgares cenſeant ludimagiſtri; cujus tu rationem philoſophiæ, ut eſt a viro incomparabili Petro Gaſſendo, nonnulliſque recentioribus emendata, & Chriſtianæ religioni accommodata, in pleriſque videris non improbare. Quo etiam nomine T. LUCRETIUM CARUM a te benigne exceptum iri confido, vitio quidem temporum ſuorum idemtidem inſanientem, cetera vero ingenioſum, acutum, bonæ frugi poetam; quodque tibi eum vehementius commendare debet, ſermonis elegantiæ ſtudioſiſſimum; quæ quamvis ab Epicureorum grege fere contemta, ad Epicuri tamen ſententias cognoſcen-

ſcendas, aliarum quoque ſectarum homines facile invitare poſſit. Hæ ſunt cauſſæ quibus adductus, te in rerum pulcherrimarum meditatione verſantem interpellare auſus ſum: nunc illud te rogo, ut ſi ea tantummodo in medium afferam quæ a te minime ignorantur, ne continuo mihi ſuccenſeas, quemadmodum Phormioni olim, inepto ac deliro ſeni, de re militari coram ſe diſputanti, fertur Hannibal ſuccenſuiſſe: hæc enim quæ in gratiam tironum a me conſcripta ſunt, eo conſilio ad te mittuntur, ut ea ſcilicet, ſi bona fuerint, auctoritate tua confirmare velis; ſin autem mala, caſtigare cenſura.

Omnis igitur quæ a LUCRETII poematis in legentium animos proficiſci poteſt utilitas, ea procul dubio non aliunde, quam ex rebus de quibus agit poeta, & ex ejus dicendi genere, oriatur neceſſe eſt. Si res ipſas conſideremus, tria potiſſimum diſpicienda occurrunt: quid videlicet de diis & religione, quid de animorum natura, quid de materia primiſque corporibus LUCRETIUS noſter, vel potius LUCRETIO interprete doceat Epicurus. Hæc ſunt, niſi fallor, deſipientis hujus ſapientiæ præcipua capita; quæ tamen a nobis breviter ſummatimque attingentur; non enim ad commentarium ſcribendum aggredimur (præſtiterunt id magna cum laude viri doctiſſimi) nec eſt ſane hujus loci aut tem-

temporis longiorem inſtituere diſputationem. Satis erit ſi juventutem monuerimus, ut meminerit, in LUCRETII lectione, tamquam in lubrico & periculoſo loco, ſibi caute ac ſuſpenſo pede incedendum: non omnibus quæ veritatis ſpeciem præ ſe ferre videantur, temere adſentiendum: ad naturæ ſæpe judicium, rectæque rationis normam provocandum: delectu denique utendum, quo & profutura pauca arripiantur, & multa nocitura declinentur. Hinc autem orationis noſtræ initium ſumemus.

Placet LUCRETIO, & reliquis Epicureis, perturbationes omnes quibus hominum vita exercetur, metum in primis ac ſuperſtitionem, non alio pacto, quam rerum naturæ cognitione, leniri ac mitigari poſſe: dandam iccirco operam philoſophiæ, non ut tantummodo inanem quamdam ſciendi cupiditatem expleamus, indoctique vulgi plauſum & admirationem copia verborum, & linguæ mobilitate aucupemur; quod multis olim propoſitum fuiſſe, & hodie adhuc eſſe, intelligimus; verum ut, populari errore depulſo; nihil jam abjectum cogitantes, contraque fortunæ vim, ac mortis terrorem animum erigentes, hoc, quod nobis datur, vivendi tempus tranquille beateque traducamus. Sapienter id quidem, ac bono exemplo; non enim ad hoc nati videmur, ut noſmetipſos negligentes, ac, tamquam

quam incultos agros, vitiorum ſitu ac ſqualore horreſcere ſinentes, cæli terræque ambitum dimetiamur, & quæ natura denſiſſimis tenebris circumfuſa eſſe voluit, in iis veſtigandis toti ſimus: at potius ad ſtudium juſtitiæ atque honeſtatis; unde vera voluptas demum exſiſtit. Flagitioſum ſane ac miſerum eſt, homines in philoſophia diu multumque verſatos, plebejis adhuc & anilibus morbis laborare, adhuc lucelli amore flagrare, adhuc gloriolam captare, adhuc invidia tabeſcere, maliſque libidinibus tranſverſos rapi, adhuc ſpe ac metu jactatos fluctuare; quumque magnifica & ſublimi oratione ad populum uſi fuerint, in ea tandem probra incidere, quæ a vulgaribus hominibus, naturam tantum ducem ſecutis, facile devitari videmus. Hinc fit ut philoſophi plerumque male audiant; ipſumque nomen philoſophiæ apud eos præſertim qui rem familiarem vel publicam gerunt, in contemtionem fere ac ludibrium venerit: exiſtimant enim, rem eſſe leviſſimam, neque omnino aliud quam callidam & ſpecioſam inertiam; quod ſcilicet neque locupletiores, nec adeo meliores familiares ſuos efficere ſoleat. Noſti, quid Centurio ille apud Perſium dicat: *

Quod ſapio ſatis eſt mihi: non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſique Solones,

Ob-

* *Sat.* 3. *v.* 78.

Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura quum ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes ſomnia, gigni
De nihilo nihilum, in nihilum nil poſſe reverti.
Hoc eſt, quod palles: cur quis non prandeat, hoc eſt.

At vero ſi ad mores formandos, vitæque commoda amplificanda totum hoc ſtudiorum genus adhibeatur, intelliget profecto populus, nullum eſſe negotium quod tam operoſo ſalubrique otio anteponi mereatur, honeſtioremque aliquanto opinionem de graviſſimis diſciplinis mente comprehendet. Ajunt, Socratem eo nomine philoſophos reprehendere ſolitum, quod otioſis diſputationibus tempus tererent, & in rebus a vitæ uſu remotiſſimis, omnemque intelligentiæ noſtræ conatum exſuperantibus multam eamque inanem operam collocarent: quamobrem ipſe primus philoſophiam e cælo deduxit, ac ſtudium omne ſuum ad morum doctrinam convertit. Contra Epicurus, quum ſibi finem bonorum unicam ſtatuiſſet voluptatem, ſive, ut invidioſo vocabulo abſtineam, animi a metu ceteriſque perturbationibus omnino vacui, tranquillitatem, ac quodammodo libertatem; in abditas propterea rerum cauſſas iis inquirendum cenſuit, qui tale ac tantum bonum adſequi voluiſſent: præci-

puam enim malorum cauſſam hominibus eſſe arbitratus eſt veri ignorationem; quod non, uti Socrates, perdifficile inventu, vel, ut Arceſilas ceterique omnes novi Academici, omnino ἀκατάληπτον (a), ſed contra, ſenſuum ductu minime fallaci, promtum expeditumque, quin etiam ſtrenue veſtigantibus, ipſum per ſe benigne occurrere ſolitum exiſtimavit. Hactenus laudari poterat Epicurus; modo ex rerum naturæ contemplatione, falſis ratiunculis deceptus, non eos dementiæ, ſtuporis, atque impietatis fructus collegiſſet, qui ejus nomini perpetuas infamiæ notas apud poſteritatem inuſſerunt. Metum, ait, præ reliquis animi perturbationibus ei cavendum eſſe cui curæ ſit beate vivere; amorem enim, odium, dolorem, iram, paullo rarius, & quaſi per intervalla, hominum vitam male habere: metum autem, tamquam Siſypho ſaxum, aſſidue capiti impendere, neque ullam adeo miſeris voluptatem puram & defæcatam relinquere; quum ſcilicet præſentibus bonis minus gaudere oporteat in futurorum malorum cogitatione defixos. Eſt hoc Epicuro commune cum Stoicis, ex quorum præceptis hæc magnifice loquitur Epictetus: (b) χρεῖσσον γάρ ἐστι λιμῷ ἀποθανεῖν, ἄλυπον καὶ ἄφοβον γινόμενον, ἢ ζῆν ἐν ἀφθόνοις ταρασσόμενον.

Sed

(a) *quod comprehendi non poteſt.*
(b) *Enchirid. cap. 16. Præſtat enim perire fame, timoris ac moleſtiæ expertem; quam copiis omnium rerum circumfluentem, animo vivere perturbato.*

Sed ob id tamen Epicuri ratio vehementer improbari debet, quod nimirum religionem, ac inſculptam in hominum mentibus de Dei providentia, & de animorum immortalitate opinionem, earum quæ in vita ſunt moleſtiarum atque cruciatuum culpam pæne omnem ſuſtinere voluerit: proptereaque ſumma ope contenderit ut perſuaderet, a diis neque mundum adminiſtrari, neque ullam rerum humanarum curam geri: animos item hominum, quod corporea natura prædiți ſint, una cum ipſis corporibus interire. Hæc enim tam abſurda ſententia malis potius, quam bonis videtur conſultum velle. Boni ſiquidem ſuppliciorum terrore quæ apud inferos eſſe conſtat, quod videlicet ad ſe non pertineant, minime percelli ſolent: quemadmodum Lex Julia de adulteriis ei tantum formidanda eſt qui alienam uxorem corruperit; nemini autem, præterquam parricidæ, culleus metum incutere debet. Nec vero quum ſe a Deo curari cogitant, horrorem aliquem ex ea cogitatione percipiunt: quin etiam ſpes omnes ſuas in eo collocare, atque ab ipſo innocentiæ, virtutis, multorumque benefactorum præmia, poſtquam corporum vinculis effractis, ex hac turba & colluvione diſceſſerint, tamquam ſtrenui milites ab æquiſſimo imperatore, exſpectare conſueverunt. Quæ præmia ſi auferas, non quidem ab honeſtate ad tur-

pitudinem traducentur; gratuito enim recte agere, id demum est bonum esse; at fortasse in virtutis curriculo aliquid de pristina alacritate remittent. Mali contra, pœnarum metu depulso, qui solus eos in officio continere, aut saltem ab ultimis sceleribus perpetrandis cohibere poterat; si spes ulla se ostendat, occulta fore magistratibus quæ peccaverint, jam libidinibus habenas laxabunt, jam se omnibus stupris, perjuriis, sacrilegiis, cædibus contaminabunt. Egregiam vero disciplinam, quæ bonos a statu virtutis dejiciat, malos autem, proposita scelerum impunitate, ad securius peccandum invitet. At quibus tandem rationibus confirmat, humana diis curæ non esse? Sollicitudinis, inquit, expertes deos esse convenit, atque a rebus gerendis omnino feriari; id enim vel maxime ad beatitudinem pertinet. Quasi vero, ut nos homunculi negotiorum varietate ac multitudine obruimur, ita præcellens illa ac divina natura aut lassitudini obnoxia esset, aut diuturnæ administrationis tædio capi posset. Nonne hoc est, quemadmodum Ciceroni videtur*, *verbis relinquere deos, re autem tollere?* Porro, si dii neque gratia moveantur, neque ira tangantur, non video, quo pacto homines de eorum natura, vi, ac potestate quidquam suspicari potuerint; quam procul dubio, si per

* *De Nat. Deor. l. 1. in calce.*

ſi per ipſius veſtigia cognoſci oportuit, beneficentia potiſſimum, ac vindicta oportuit innotuiſſe. Videtur autem Epicurus jocari potius, quam ſerio philoſophari voluiſſe, quum *deos non habere corpus, ſed quasi corpus, non ſanguinem, ſed quasi ſanguinem* (id quod teſtatur (*a*) M. Tullius) litteris traditum reliquit. Poſuerat enim, duas tantummodo naturas in univerſo exſiſtere, materiam ſcilicet, ſive corpuſcula ſolida atque individua, & inane, quod locum corporibus daret, ipſiſque admixtum rerum gignendarum cauſſa eſſet: nihil præterea excogitari poſſe quod per ſe exſiſteret; reliqua vero omnia aut his duobus conjuncta, aut horum eventa appellari debere, ut ex his LUCRETII noſtri verſibus conſtat: (*b*)

Præterea, nihil eſt quod poſſis dicere ab omni
Corpore ſejunctum, ſecretumque eſſe ab Inani:
Quod quaſi tertia ſit rerum natura reperta.

& paullo inferius: (*c*)

Ergo præter Inane, & Corpora, tertia per ſe
Nulla poteſt rerum in numero natura relinqui;
Nec quæ ſub ſenſus cadat ullo tempore noſtros,
Nec ratione animi quam quiſquam poſſit apiſci.
Nam quæcumque cluent, aut his conjuncta duabus
Rebus ea invenies; aut horum eventa videbis.

Igi-

(a) *Ibidem c.* 18. 25. 26. (b) *Lib.* 1. *v.* 431. *& ſequ.*
(c) *Lib.* 1. *v.* 446. *& ſequ.*

Igitur si dii corpore carent, juxta Epicuri sententiam nec omnino sunt: naturam enim ἀσώματον *, & ab omni materiæ concretione sejunctam, præter inane, ipse nullam agnoscit. Secum igitur pugnantia docet. Viderat nimirum, si dii corpus habuissent, necessario futurum ut dissolutis corporibus, ipsi quoque perinde ac homines, & universa mundi compages, aliquando interirent; quod quum alienum deorum majestate judicaret, ut ii qui malæ causæ patrocinium suscepere, ad sermonis argutias ineptiasque confugit. Turpem hanc magistri sui sententiarum inconstantiam videtur LUCRETIUS initio poematis imitatus: etenim qui contra deorum providentiam acerrime disputaturus erat, quasi prodito decreto, Venerem supplex rogat, ut ab amatore suo Marte Romanis civili discordia idemtidem laborantibus pacem impetrare velit. Qui nodus vindice dignus eruditissimorum hominum ingenia torsit, veluti ex quadam Petri Victorii Epistola ad Joannem Casam manifestum est. Ego vero existimaverim, Veneris auxilium iccirco invocasse LUCRETIUM ipso in limine operis sui, ut videlicet se poetam ostenderet, significaretque, deos nusquam esse nisi in fabulis poetarum: quibus alioqui omnem fidem abrogare conatus est libro secundo, ubi quid antiquitas de

* *Expertem corporis.*

de matre deorum Berecynthia, & de Curetibus ejus deæ ſacerdotibus commenta fuerit, elegantiſſimis verſibus exponit: & rurſus libro quinto, ubi ſilvarum incolas Faunos, Nymphaſque, tum Arcadiæ deum Pana, fiſtulatorem ſcientiſſimum, & ſi qua ſunt alia Græcorum ingeniorum φαντάσματα (a), urbane admodum ac lepide irridet. Quæ mihi attentius conſideranti illud in mentem venit, tantam illam numinum multitudinem quæ infelicibus illis temporibus *urbes ararum compleverat*, ut noſtri poetæ verbis utar, ſapientiæ ſtudioſis cauſſam fuiſſe, cur oppoſitam (b) ἀθεότητος opinionem turpiſſime nanciſcerentur; quis enim, quæſo, naris paullo emunctioris, & a ſenſu communi non deſtitutus, ferre poterat minutos illos, & patellarios, tum vappas, ac nebulones deos; in hortorum angulis, in ſtabulis, in culinis, in cloacis etiam ac ſterquiliniis, ſtultiſſimorum hominum vota captantes? Igitur, ſi minus excuſatione, at certe miſeratione digni ſunt veteres philoſophi, qui quum adeo indigna de diis ſentire non poſſent, cupientes proferre meliora, ipſi quoque a veritate longiſſime aberraverunt. Ceterum ea vis eſt naturæ, ut non ſolum Plato, Ariſtoteles, & plerique alii acerrimo ingenio viri, unum rerum omnium auctorem, & conſervatorem Deum (qui nobis Chriſtianis ma-

(a) *Viſa, ſpectra.* (b) *impietatis, quæ deos eſſe negat.*

maximo ac ſingulari beneficio pleniorem ſui notitiam largiri voluit) cogitatione adſecuti fuerint, tametſi qualis eſſet minime perſpexerint; verum etiam LUCRETIUS ipſe vel invitus eum quodammodo agnoviſſe, immo & faſſus eſſe videatur. Quo enim illa pertinent e quinto libro? *

Vſque adeo res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros faſcis, ſævaſque ſecureis
Proculcare, ac ludibrio ſibi habere videtur.

Profecto dii nihil agentes, & qui nullum ob ſcelus indignantur, a rebus humanis permiſcendis abſtinere dicendi ſunt.

Quam vero laborat poeta noſter, quam æſtuat, quam ſe expedire neſcit, ubi hominum animos, quemadmodum reliqua omnia, e corporeis particulis, tenuiſſimis illis quidem atque incredibili pernicitate agitatis, conſtare docet! Dixeris eum inſtituti ſui pœnitere, qui materiam quocumque tandem partium ordine diſpoſitam, motuque incitatam, ſenſus, cogitationem, prudentiam, memoriam denique efficere poſſe & ipſe crediderit, & alios perſuaſum habere voluerit. Quod certe ſi quis accuratius animadverterit, abſurdorum omnium abſurdiſſimum eſſe deprehendet. Calorem, aerem, ventum ad effingendum animum commiſcet LUCRETIUS; quibus tamen propoſiti

* *verſ.* 1232. *& ſeqq.*

ſiti operis ſummam confici non poſſe, intelligit: addit igitur quartam naturam, expertem nominis, unde, tamquam a fonte, incipiant oriri ſenſus: eam perſubtilem eſſe dicit, corpoream tamen. At quum corpus, quantalibet tenuitate præditum, corpus numquam eſſe deſinat, ſemperque a cogitationis natura plurimum diſtet, iccirco iiſdem rurſus difficultatibus poeta premitur, quas, ut erat perſpicax, videre facile potuit; ut peſſimæ cauſſæ favebat, vitare nullo pacto potuit. Quamobrem argumenta quibus animos poſt mortem nequaquam ſupereſſe, at ſtatim retexi & diſſipari contendit, quod infirmo fundamento ſubnixa ſint, jam omnia ſua ſponte corruunt; quæ ſane, ſi primum illud concederetur, ipſos nimirum corporea conſtare natura, plurimum ponderis ac momenti habitura fuerant.

Venio nunc ad illam in qua fortunæ omnes Epicureorum poſitæ ſunt, de primis corporibus, & de materiæ ſoliditate ſententiam. Docet igitur LUCRETIUS ex magiſtri præceptis, innumera eſſe in rerum natura corpuſcula, exiguitate ſua ſenſum omnem fugientia, compoſitionis, & ſenſilium qualitatum expertia, partes quidem habentia, ſed eas quæ nequeant ſeparari, variis figuris prædita, æterna, per infinitum inane irrequieto motu deorſum tendentia, quorum for-

tuito concursu, sine ullo deorum adminiculo, non solus hic quem incolimus terrarum orbis, & circumfusus ipsi æther aliquando procreatus fuerit, verum etiam alii extra hunc innumerabiles mundi omnibus minimis temporum punctis procreentur; quos tamen singulos, exacta ætate, ob assiduos materiæ nisus corrumpi oporteat, eadem semper incolumi permanente. Immodicam profecto corpusculis hisce vim atque licentiam tribuisse videtur Epicurus. Quum etenim ceteri philosophi pæne omnes naturam, ut ait Cicero (*a*), in duas res omnino dividerent, quarum altera esset efficiens, altera vero huic se formandam atque efficiendam præbens; quumque in ea quæ efficeret, vim quamdam & facultatem, in ea quæ efficeretur, materiam esse censerent: quemadmodum Plato mundi deum architectum, res pulcherrimas ex informi materiæ sinu educentem describit (*b*), Stoici vero calorem illum ac spiritum per cæli terræque spatia diffusum jactare non desinunt, quem mundi animum appellant (*c*): placuit Epicuro, Democriti rationem secuto, materiam nullo alio indigere a quo moveatur, ipsamque suopte motu cieri. Hunc autem motum inferiora versus esse dixit; credo, quod reliqua corpora ex primis apta deorsum fer-

(a) *Academic. Quæst. ad M. Varronem lib. 1. cap. 6.* (b) *in Timæo, & in libro de Anima Mundi.* (c) *Cicero de Nat. Deor. lib. 2.*

ferri vidiſſet; in quo ille, mea quidem ſententia, vehementer falſus eſt. Quid ſit enim *deſcendere* in infinito inani, ubi nihil medium eſt, quo ex omni regione pondera detrudantur; quæ item ſuperæ, quæ inferæ partes in eodem appellari debeant, neminem arbitror poſſe intelligere. Porro, quæ de atomi recta deſcendentis levi declinatione, nec certo loco, nec tempore fieri ſolita, ut res nimirum effici poſſent, fatique neceſſitas tolleretur, arbitratu ſuo ſomniavit Epicurus, noſtra refutari oratione non poſtulant, quum eorum vanitatem copioſe ac luculenter ſuo more oſtenderit M. Tullius in libris quos de Finibus Bonorum & Malorum, ac de Fato conſcripſit. Neque a nobis exſpectandum eſt, ut puerilem ac ineptam illam de ſimulacris fabulam, in qua exponenda plurimos atque egregios verſus perdere non dubitavit LUCRETIUS, cachinno & ſibilo excipiamus. Ipſa quam ſit futilis, per ſe declarat: neminem autem ſanum in errorem poteſt inducere.

Fatendum tamen eſt, quum tot ac tanta peccent Epicurei, multa nihilominus ex ipſorum diſciplina vitæ admodum utilia, & ipſi Chriſtianæ religioni conſentanea diſci poſſe. Quod enim ſenſus defendunt adverſus Academicorum argutias, neque animi errores iis tribuendos eſſe clamant; quod res certas a dubiis diligenter ſecer-

nendas, nec cuiquam viſo temere adſentiendum, monent; quod in fulminum, tonitruum, aliarumque rerum quæ in ſublimi gignuntur, terræmotuum item, ac morborum quorumdam cauſſis explicandis aut vera, aut ſaltem veris affinia proferunt; quod mundum denique ortum, atque aliquando interiturum teſtantur; gratiæ illis habendæ ſunt, nec eſt cur eorum cogitatis atque inventis uti nolimus. Præterea, ut ad LUCRETIUM referatur oratio, multa ſunt in hoc poemate, de mortis contemtu fortiter, de temperantia graviter, de humanitate leniter, poſtremo de animi tranquillitate dicta ſapienter. Quibus rebus factum eſt, ut veteres illi Eccleſiæ patres, ſumma ſanctitate ac doctrina viri, Arnobius in primis, Lactantius, ac Prudentius, a LUCRETII lectione non abhorruerint, ut ex eorum ſcriptis facile apparet; quum enim ſententiarum pondere, tum verborum luminibus, quibus totum hoc poema, quaſi gemmulis quibuſdam, conſperſum eſt, mirifice capiebantur.

Hactenus de operis argumento, quantum inſtituti noſtri ratio poſtulare videbatur, dictum a nobis eſt: deinceps de ſermonis genere quo uſus eſt LUCRETIUS, breviter conſiderandum. Si quis autem plura & pleniora expetiverit, is Dionyſii Lambini, atque Oberti Giſanii, virorum doctiſſimorum, ac de poeta noſtro optime me-

meritorum, lucubrationes adire ne gravetur; quibus pauca omnino ſuperſunt quæ adjiciamus. Mirus eſt igitur in LUCRETII carminibus Romanæ orationis nitor, mirus verborum delectus ac ſplendor; quod ſcilicet ejus ætate nondum multitudo illa peregrinorum, atque inquinate loquentium in urbem confluxiſſet, quæ Latinam linguam iis quæ poetæ mortem conſecuta ſunt temporibus, ita paullatim immutavit, ut alia prorſus eſſe videretur. Ex hac porro emendate ac pure loquendi facultate, jucunda legentibus oritur perſpicuitas, quæ rebus alioquin obſcuris, & intellectu difficillimis, quales neceſſario ſunt quæ a philoſophis tractari ſolent, clariſſimam lucem adfert; quo in genere LUCRETIUM excellere, dubio procul fatendum eſt. Vix enim unus aut alter ex numero philoſophorum (te unum ſemper excipio, JOANNES GRATIANE) ſoluta oratione ea perſequi commode poſſit quæ ſcriptor elegantiſſimus nullo negotio verſibus explicavit. Non ſolum autem proprietatem verborum, cauſſam eſſe crediderim cur Epicuri doctrina, quam LUCRETIUS exponit, facile percipiatur; ſed præterea ordinem, ac totius operis partitionem; qua nimirum alia ex aliis præcognitis ita pendent, omniaque inter ſe apta & connexa ſunt, ut homini non hebeti ſciendi cupiditatem addant, de ſtudii vero tædio ac labo-

re

re multum imminuant. Atque hæc LUCRETIUM ea tempestate præstitisse, qua Græcorum inventa, subtilesque de rerum natura quæstiones Latinis litteris tradi ac perpoliri posse doctissimi etiam Romanorum diffidebant, quantum a justis æstimatoribus haberi debet! Verbis quidem horridis, & obsoletis, numeris item præfractis, & asperis, quos ab Ennio aliisque antiquioribus poetis acceperat, sæpius utitur; sed ut sublimitatem, ac majestatem quamdam orationi conciliet, tum etiam ut satietatem devitet, in quam eos incidisse videmus, qui se suaves semper & comtos, numquam austeros & grandes esse voluerunt. Non sum nescius, inveniri nonnullos, ab omni elegantia sermonis, & præcipue a Musarum familiaritate alieniissimos, quibus LUCRETIUM vel digito attingere religio futura sit: dictitant enim, se, rebus supervacaneis omnino abjectis (ita hæc studia quæ ab humanitate nomen habent, ipsis appellare placet) nudam & simplicem colere veritatem, quam inanium verborum phaleris violari & obscurari nolint: nihil esse poeticæ levitati cum philosophia commune: hujusce modi nugis bona adolescentium ingenia depravari, aut obtundi: postremo, tempus omne male perire quod non in solidiorum disciplinarum studio & cognitione ponatur. Hi sunt scilicet qui cum litteris assidue bellum gerunt,

qui

qui Ariſtotelem, Platonem, Theophraſtum, ac veteres pæne omnes philoſophos præ ſe ſtupidos & nihili homines fuiſſe judicant, quod non, ut ipſi, infantes & barbaros ſe in philoſophando præbuerint, neque in diſputationibus graviſſimis, poetarum teſtimonio abuti veriti ſint: hi ſunt qui M. Tullii Ciceronis nomine audito, ludimagiſtri cujuſdam de trivio mentionem fieri putant. Hos ego ſi cauſſas docere velim propter quas LUCRETIUS philoſophiæ decreta carmine potiſſimum tradere aggreſſus fuerit, nihil profecto agam; non enim umquam adduci poterunt ut ſe omnium bonarum rerum ignaros, omnis eruditionis expertes eſſe fateantur. Valeant igitur præpoſteri homines, qui libellos ſuos (horribiles, boni ſuperi, & ſacros libellos!) quos ne ipſi quidem interdum ex animo ſatis probant, ætatem ferre, ac famæ antiquorum officere poſſe confidunt. Quamobrem optimos adoleſcentes, & LUCRETII noſtri ſtudioſos, non hos honeſtarum artium oſores, quæ deinceps dicturus ſum, legere & cognoſcere cupio. Ea eſt ad permovendos tenendoſque hominum animos pulchritudinis vis atque natura, ut res quantumvis utiles, niſi hac, tamquam condimento aliquo ſuaviſſimo, adſperſæ fuerint, ob adjunctam ipſis difficultatem, paucos omnino amatores invenire videamus. Ex hoc fonte, non aliunde, artes pæne

ne omnes quæ vitæ commodis inſerviunt, originem duxiſſe videri poſſunt. Non enim, ut exemplo rem illuſtremus, ſatis eſt architecto, ſi domum exſtruat firmam atque ſolidam, quæ diurnum lumen admittat, imbres & frigora nimioſque ardores excludat: verum etiam id propoſitum habet, ut apta partium diſpoſitione, ſpecieque operis grata & eleganti, decora ſit atque aſpectui jucunda. Idem in veſtium ornatu, idem in cibis parandis, idem in militaribus armis, idem in ſollemnibus pompis, omnique religionis cultu quotidie ſervari cernimus. Quid? non ille orbis conditor Deus, quum hanc rerum univerſitatem, tamquam ingentem aliquam domum, in uſum hominum creare ſtatuiſſet, eam ornamentorum omnium varietate diſtinguere ac inſignire voluit? quam Græci univerſitatem ab ornatu κόσμον, Latini *mundum* appellavere. Sciebat enim ſapientiſſimus artifex, divinum hoc, & rationis particeps animal pulchritudine potiſſimum affectum iri. Sæpe quidem ſum admiratus, quidnam eſſet, cur, ut quæque res pulchritudinis plurimum in ſe contineret, ita maximis obſæpta eſſet difficultatibus; vetus enim illud experientia comprobari videbam, χαλεπὰ τὰ καλά *. Inveniebam autem, quum ad difficilia, eademque profutura, capeſſenda hortari natura homines vellet, coſ-

* *Difficilia, quæ pulchra.*

eoſque a laboribus ſubeundis vehementer abhorrere intelligeret, honeſtatem, pulchritudinem, gloriam, uberrimam contentionis mercedem ipſis propoſuiſſe. Quæ quum ita ſint, magna profecto laus Empedocli, ac LUCRETIO noſtro debetur, qui philoſophiam, rem humano generi ſaluberrimam, at, ſi cultum ei omnem, & quaſi veſtem orationis detraxeris, triſtem ac moroſam futuram, carminum ſuavitate ac pulchritudine, quibus nihil in vita dulcius, juventuti amabilem atque expetendam reddere voluerint. Operæ pretium eſt ipſum audire LUCRETIUM, conſilium ſuum his verſibus Memmio exponentem: *

— — quoniam hæc ratio plerumque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac; volui tibi ſuaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quasi muſæo dulci contingere melle,
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in noſtris poſſem, dum perſpicis omnem
Naturam rerum, qua conſtet comta figura.

Decebat præterea, niſi fallor, res minime humiles aut populares, non familiari & quotidiano dicendi genere, ſed maxime ſublimi, quale ſci-

A a licet

* *Lib. 1. v. 942. & ſeqn. & Lib. 4. v. 18. & ſeqn.*

licet poetarum eſt, explicari: quemadmodum ab Homero, pluribus in locis poematum ſuorum, ſapientiſſime fictum eſt, alia deos, alia homines lingua uti: mentis enim altitudinem electa & magnifica verba, atque a vulgari conſuetudine remotiſſima ſubſequi neceſſe eſt. Quærat fortaſſe aliquis, quid ſibi voluerit Q. Cicero, cui adſentitur (a) Marcus frater, quum LUCRETII *poemata non ita multis luminibus ingenii, multæ tamen artis eſſe* judicavit: quod Q. Ciceronis judicium (b) Dionyſius Lambinus, ut ægre admodum ferebat, LUCRETIO ingenii laudem eripi, aut perperam explicaſſe, aut ſaltem callide videtur diſſimulaſſe. Multa occurrunt quæ reſponderi poſſint, at illa in primis; ex M. Tullii verbis modo memoratis nihil aliud colligi, niſi, præ admirabili artis præſtantia, quam LUCRETIUS in ſuis de rerum natura carminibus adhibuerit, ſi qua ipſis inſint ingenii lumina (inſunt autem plura, & egregia) non adeo apparere: vel ipſum operis argumentum arte magis, quam ingenio tractari poſtulaviſſe; quod poeta optime præſtiterit. Non enim eadem LUCRETII ratio erat, Epicuri ſententiam exponentis, quæ Tragicorum, Epicorumque poetarum eſſe ſolet, qui niſi res incredibiles, & monſtra paſ-

(a) *Lib.* 2. *ad Q. Fratrem, Epiſt.* 11. (b) *In Diſſertat. de T. Lucretii patria, genere &c. tertiæ ſuæ hujus poetæ editioni præfixa.*

paſſim confingant, ſtatim de manibus deponuntur. Utcumque vero res ſe habeat, (nam a Jano Grutero, & Jacobo Gronovio verba illa Ciceronis aliter leguntur) quoties ab anguſta philoſophiæ ſemita in late patentes eloquentiæ campos evagari libuit poetæ noſtro, quantum ingenio valeret, ſatis oſtendit. Principiis & finibus librorum nihil elegantius, nihil ſplendidius, nihil jucundius excogitari poteſt. Quam copioſe atque eleganter deſcribit LUCRETIUS mutuas inter Martem Veneremque blanditias! Religionem truculento aſpectu a cæli regionibus mortalium generi minitantem! Iphigeniam, ſuperſtitione Agamemnonis patris, ad aram Dianæ, hoſtiarum more, raptatam! Corybantes circum Cybelem æra quatientes! cruciatus denique illos quos poetæ apud inferos eſſe finxerunt, ſceleſtis hominibus in hac vita ingenioſiſſime accommodatos! Porro quis negaverit ea eſſe pulcherrima quæ de malis ex amore naſci ſolitis, de puellularum & amatorum vitiis, de agreſtibus & immanſuetis primorum hominum moribus, de peſtilentia denique Athenis graſſante poeta noſter litteris tradidit? In quibus omnibus profecto tanta vis elucet ingenii, ut plane dolendum ſit, tam illuſtre bonum ab egregio ſcriptore ad Epicuri potius, quam vel ad Platonis, vel ad Ariſtotelis, vel ad Zenonis etiam, meliorum lon-

ge philoſophorum, ſententias explicandas collatum eſſe.

Jam omnium quæ propoſueram, tractatione abſoluta, reliquum eſt, Vir doctiſſime, ut quid in LUCRETIO typis recudendo ego meuſque frater præſtiterimus, paucis enarrem. Primum omnium, ut poematis contextum quam emendatiſſimum daremus, Editionem Londinenſem Anni CIↃ IↃ CCXII. maxime accuratam atque elegantem, plerumque ſecuti ſumus, quæ fere cum Dionyſii Lambini Editione conſentit: nonnullas tamen Thomæ Creechii Angli caſtigationes, qui non ita multis ab hinc annis LUCRETIUM interpretatus eſt, quod nobis vehementer probarentur, & ad veritatem proxime accedere viderentur, libenter ſumus amplexi. Utile autem gratumque lectoribus futurum exiſtimavimus, ſi ejuſdem Creechii Argumenta ſingulis libris præponeremus, & quæ idem adverſus impias ineptaſque Epicuri opiniones, breviter quidem, at nervoſe acuteque diſputavit, ſingulis pariter ſubjungeremus. Variarum Lectionum libellum, quem Londinenſes ex præſtantiſſimis Editionibus, ac MSS. Codd. congeſſerunt, omittere noluimus: quamvis non ignoraremus, fore ut hic labor noſter in multorum reprehenſiones incurreret, eorum videlicet qui quum ipſi minutam hujuſmodi diligentiam numquam adhibeant, in

aliis

aliis etiam irrident. At publicis utilitatibus consulentem, quid imperiti, aut malevoli homines de se in angulis tabernarum effutiant, non admodum curare oportet. Utinam vero ea nobis temporis copia suppeditasset, ut Codices duos manu exaratos, quos ex Bibliotheca Canonicorum Ecclesiæ hujus Patavinæ, antiquis voluminibus instructissima, depromtos, nobiscum perbenigne communicavit Vir nobilitate, doctrina, vitæ integritate præcellens, Comes Trojanus Borromæus, ejusdem Ecclesiæ Canonicus, per otium scrutari potuissemus! Horum alterum Petrus Barrocius, Episcopus Patavinus, homo, ut illis temporibus, non vulgariter doctus, ipse sua manu descripsit. At si novam aliquando LUCRETII editionem nobis adornare contigerit, varias ex iis Codicibus lectiones, modo pretium operæ fuerit, proferre in animo est. Ne quid tamen dissimulem, quum unam aut alteram utriusque libri paginam attentius perlegissem, eos adeo inter se similes esse deprehendi, ut Terentianum illud * de ipsis dici posse videatur:

Qui utrumvis recte novit, ambos noverit.

Verborum denique obsoletorum, & numerorum rationem, tum singularium loquendi generum quæ a LUCRETIO usurpata sunt, locupletissimum Indicem, summaque industria elaboratum, ad-

* *Andria Prologo v.* 10.

adjunxi: in quo conficiendo, ſi me ab Oberti Giſanii doctiſſimis Conlectaneis adjutum negem, impudens profecto ſim. Non tamen ejus viri auctoritatem ubique mihi ſequendam eſſe duxi, & quæ in illis dicta erant fuſius, ipſe in adoleſcentium gratiam contraxi, & multa denique de meis adverſariis quotidianis excerpta eodem importavi; ut quivis facile intelliget, qui opellam hanc noſtram cum Giſanii laboribus comparare voluerit.

Hæc erant, Vir celeberrime, de quibus apud te verba facere non inutile arbitrati ſumus; quæ omnia, pro tua ſingulari humanitate, æqui bonique conſulas, rogamus, quum propter ipſarum rerum dignitatem, tum propter nos etiam tui ſtudioſiſſimos; qui non plane nulli ſumus; cœpimus enim, ut audimus, inſtituto hoc noſtro juvandi optimas litteras, malorum invidiam promereri. Vale. Patavii Kal. Januarii Anno a Virginis Partu CIↃ IↃ CCXXI.

JO.

JO. ANTONII VULPII
DEDICATIONES, ET PRAEFATIONES.

DEDICATIO OPERUM
ANDREAE NAUGERII.

Illuſtriſsimis atque Excellentiſsimis Viris

Rei Litterariæ Moderatoribus, HIERONYMO VENERIO Equiti, ac Aedis D. Marci Procuratori, FRANCISCO SUPERANTIO Aedis D. Marci Procuratori, LAURENTIO THEUPOLO Equiti, ac Aedis D. Marci Procuratori, totique Triumvirum Litterariorum Ordini Ampliſſimo

Jo. Antonius Vulpius Felicitatem.

SI umquam, pro mandato vobis munere, litterarum laudi faviſtis, Viri Ampliſſimi, non dubito, quin hoc potiſſimum tempore egregiam in illas voluntatem veſtram declaraturi ſitis. Veneti enim Senatoris, præclare olim de ſua Republica meriti, ejuſdemque doctiſſimi hominis, atque eloquentiæ gloria florentiſſimi, Monumenta ad vos afferuntur: ad vos ſcilicet, qui ex principibus familiis orti, rebus geſtis, probitate, prudentia diu multumque ſpectati, maximis honoribus perfuncti, ſummum gradum & dignitatis & gratiæ in Civitate veſtra obtinetis. Is eſt de quo loquor, ANDREAS

NAU-

NAUGERIUS, qui dum Patriæ commodis inſerviret, eamque, propter ejuſdem caritatem, reliquiſſet; in medio ætatis curſu, apud Franciſcum Galliæ Regem legatus occubuit. Ea porro fati acerbitate non ſolum ipſe, a quo ſumma omnia exſpectabantur, magno civium ſuorum dolore, publicæ utilitati ereptus eſt: verum etiam plurima quæ inchoaverat ſcripta (inter quæ celebris illa Rerum Venetarum Hiſtoria) non ſine ingenti Muſarum luctu, interciderunt. Hujus igitur excellentis viri ego meuſque frater & ingenium admirati, & miſerati fortunam, Omnia ejus Opera, quæ uſquam reperiri potuerunt, tamquam ex ardenti rogo ſervata ſpolia, pari fide, ac diligentia collegimus, vobiſque, Ampliſſimi bonarum artium Patroni, inſcribenda eſſe exiſtimavimus. Quibus enim potius NAUGERII Scripta commendanda fuerant, quam vobis, qui & eamdem quam ille, Patriam ſortiti, & eodem loco nati, &, quod caput rei eſt, in eodem vitæ genere, gloriæque curriculo uſque ab adoleſcentia verſati eſtis? Dies me profecto, atque oratio ipſa deficiat, ſi magiſtratus a vobis geſtos, ſi difficillimas legationes magno animo ſuſceptas, ſingularique prudentia actas, ſi liberalitatem, ſi conſtantiam veſtram, ſi moderationem in privatis rebus, ſplendorem in publicis, commemorare ac perſequi velim. tantum

tum hoc dicam: quum vobis, e reliquis omnibus, Patavini Gymnaſii gubernationem, ſtudiorumque curam, quæ graviſſima in recte inſtitutis civitatibus eſſe ſolet, Reſpublica veſtra mandaverit; vos ab ea ſapientiſſimos, litterarumque amantiſſimos certo admodum teſtimonio eſſe judicatos. Qua laude quid præſtabilius, quid magnificentius excogitari poteſt? Hæc una ſcilicet & acceptæ a majoribus nobilitati, & exaggeratis opibus longiſſime antecellit: hæc una hominum vitam caducam & fragilem, anguſtiſque finibus circumſcriptam, non ſolum prætergreditur, ſed etiam immortalitate donare poteſt. Lætis igitur animis, hilarique vultu, Civem optimum, ſcriptoremque elegantiſſimum, a ſinu oblivionis induſtria noſtra vindicatum, novoque cultu ornatum, & auctum, excipere velitis, Viri Ampliſſimi: eique vos longo poſt tempore æquos honores deferre non pigeat, ac olim e Gallia redeunti, ſi hoc illi per fatum licuiſſet, majores veſtri fuerant delaturi. Simul illud vos oro, ut me tenuem quidem hominem, ſed tamen pulcherrimarum artium ſtudio acrius inflammatum, noctesque ac dies de earum dignitate cogitantem, in fidem veſtram & clientelam accipiatis: novamque Typographiam, quam domi meæ ad optimos cujuſque generis libros edendos inſtitutam habeo, patrocinio veſtro,

ſtro, ac defenſione tueamini. Id ſi feceritis, dignam rem humanitate, auctoritate, atque amplitudine veſtra feceritis. Valete, Patres Ampliſſimi, & Reipublicæ, ac litterarum bono felices diutiſſime vivite. Patavii III. Nonas Junii. CIↃ IↃ CC XVII.

PRAEFATIO IN OPERA ANDREAE NAUGERII.

LECTORI BENEVOLO.

TYPOGRAPHICAM Artem, quæ ſummo DEI OPTIMI MAXIMI beneficio hominum generi conceſſa eſt, prima ejus ætate docti admodum, & honeſti viri magna induſtria diligentiaque excoluere. Ab his auctior facta, latiuſque per orbem propagata, in eam ſenſim fortunam devenit, ut a pleriſque male omnino haberi, ac patrimonii tantum augendi cauſſa exerceri cœperit: & iccirco litterati homines ab ea deinceps tractanda manus abſtinere ſatius arbitrati ſint. Ob id, quæ duæ res arctiſſima ſocietate junctæ inter ſe fuerant, ſcriptores nimirum optimos typis divulgare, & ad ipſorum emendationem non mediocre ingenium, & do-

& doctrinam adhibere; eædem poſtea disjunctæ atque diſtractæ non perinde uberes fructus attulerunt. Quo magis de litteris præclare merentur non pauci ex eruditorum numero apud Tranſalpinas nationes, & in Italia quoque nonnulli, qui in id totis viribus incumbunt, ut quæ vel ab antiquis, vel a recentioribus ſapienter excogitata, eleganterque conſcripta ſunt, ea in manus hominum accuratiſſime caſtigata, magnificeque exornata perveniant. Horum igitur exemplo nos excitati, quamquam nec ſtudiis bonarum artium, nec ingenio, neque ulla alia re cum iis conferendi ſimus, nulli tamen ſumtui parcentes, Typographiam domi noſtræ inſtituimus, eique hominem diligentem præfecimus, ad egregios in omni diſciplinarum genere libros edendos; præſertim vero ad illorum memoriam renovandam qui ſanioris Eloquentiæ, atque Eruditionis laude floruerunt. Hanc noſtram publicis commodis inſerviendi voluntatem a ſtudioſis quibuſque, & potiſſimum ab Italis, æqui bonique conſultum iri ſperamus; quod ſi adſecuti fuerimus, vitaque, & valetudo ſuppeditaverint, majore in dies alacritate ſuſceptum opus urgebimus. Specimen igitur diligentiæ noſtræ præbituri, ANDREAE NAUGERII, Patricii Veneti, quo ſcriptore magis elegantem, ac nitidum haud alium facile invenire poſſis,

Monumenta undique collecta typis describi curavimus; nihil fere prætermittentes quod vel ab eo profectum, vel ad ejus nomen, gestaque illustranda utcumque pertinere duceremus. Et nihilominus nonnulla fortasse nos effugerint; id enim est humanæ infirmitatis: & quædam fortasse in abdito latent, quæ nulla hactenus inquisitione erui, & in lucem protrahi potuerunt. Utinam ille aliquando illucescat dies, quum plura suavissimi hujus Poetæ Carmina, quæ apud Laurentium Pignorium, doctissimum virum, olim exstabant, ex alicujus bibliothecæ forulis depromantur: tunc enim demum confecta res fuerit. Interim, quantum Joanni Baptistæ Recanato, Patricio Veneto, debeamus, studiis politioribus mirifice dedito, jamque satis libris editis claro; quantum Apostolo Zeno, viro non doctrina minus, quam humanitate spectato, vix est ut oratione complecti valeamus. Ab his videlicet opera, consilio, codicibus, perquam benigne adjuti sumus. Non solum autem elegantia, & nitor NAUGERII nos impulerunt ut ab ipso potissimum laboris hujus nostri caperemus exordium; sed præterea hominis Patria & Nobilitas cohortata est, quæ scilicet liberalium disciplinarum gloriam in illo quodammodo efficit ampliorem. Si enim auspicato res gerenda erat, non aliunde initium ducere oportuit, quam a flo-

florentiſſimæ Venetæ Reipublicæ, cujus Imperio paremus, Cive optimo, ac ſapientiſſimo; qui plurimis etiam eodem loco natis exemplo eſſe poſſit, ut majorum ſuorum veſtigiis inſiſtentes, eorum virtutes, & ſtudia ardentius æmulentur. Sed jam, quid in hac Editione a nobis præſtitum ſit, paucis exponere aggrediamur. Circumferebantur uno volumine Orationes duæ, altera in Bartholomæi Liviani, altera in Leonardi Lauretani funere a NAUGERIO habitæ; nonnulla item Carmina: omnia amicorum ejus diligentia poſteris conſervata. His plura adjicere viſum eſt, quæ aut diſperſa in libris latebant, aut diſſimulato ſcriptoris nomine in manibus verſabantur. Et primum Epiſtolas tres exhibuimus, lectu ſane digniſſimas, quas ille Ciceronis Orationibus opera ſua emendatis apponi curaverat: has proxime alia conſequitur, qua Latinæ Comœdiæ principatus Terentio adjudicatur, Franciſco Aſulano Typographo ab Auctore afficta, fortaſſe ut invidiam effugeret; quemadmodum Franciſcus Floridus Sabinus, ob ejuſmodi ſententiam NAUGERIO iniquior, Henricus item Stephanus, uterque Plauto mirum in modum addicti, exiſtimaſſe videntur. Accedunt Doctorum aliquot Virorum ad NAUGERIUM Epiſtolæ, ex quibus, quanto is eſſet in honore apud excellentes doctrina viros, facile apparet. Variarum

etiam

etiam Lectionum in omnia Opera P. Ovidii Naſonis rationem habendam eſſe duximus; in quibus multa paſſim occurrunt quæ non contemnendam poetarum ſtudioſis afferant utilitatem. In his, Lector, videbis numerorum notas Ovidii carminibus appoſitas: typorum quoque varietate ad diſtinctionem uſi ſumus; quod etiam in propriis nominibus, rebuſque inſignioribus denotandis ubique a nobis factum reperies. Carmina porro NAUGERII nova acceſſione cumulavimus: addidimus enim ex Originibus Patavii Pignorianis ſuaviſſimos Hendecaſyllabos in Vancium vicum Patavinum: item Epigrammata duo ex Gagnæji, atque Ubaldini carminum collectionibus. Nihil eſt autem quod mirere, Hieronymi Fracaſtorii de Poetica Dialogum inter NAUGERII lucubrationes collocatum: ut enim in Platonis libris adhuc antiquiſſimi illius Socratis ſapientia vivit, quum ipſe de philoſophia litteram omnino nullam fecerit; ſimiliter, tot NAUGERII ſcriptis deperditis, quænam ejus de poetarum ſtudiis ſententia fuerit, non injucundum fortaſſe erit e Fracaſtorio cognoſcere. Atque hæc quidem de Latinis Monumentis. Sequuntur nonnulla, Italica, qua nunc utimur, lingua conſcripta: Verſus nimirum faciles, arguti, elegantes, ex vetuſtis libris, ac propemodum ignoratis depromti; quibus

τὰς

τὰς μεταφράσεις Epigrammatum aliquot NAUGERII a claris Poetis elaboratas addere viſum eſt, in primis vero quaſdam Petri Angelii Bargæi, nondum vulgatas: tum Epiſtolæ quinque ad Joannem Baptiſtam Rhamnuſium ex Hiſpania miſſæ, duabus Petri Bembi ad NAUGERIUM adjectis: poſtremum Deſcriptio itineris per Hiſpaniam, Galliamque ab Auctore confecti; opus quidem non adeo multis luminibus ingenii exornatum, ſed tamen utile, copioſum, varium. Quæ duo, Deſcriptionem, & Epiſtolas, ſexcentis locis emendavimus; erant enim in antiquis exemplaribus fœde corrupta. Ne quid autem a nobis omiſſum queri aliquis poſſet, Doctiſſimorum Virorum Teſtimonia de NAUGERIO collegimus, non quidem omnia (id enim infinitum fuiſſet) ſed tantummodo illuſtriora: ex quibus, nec non ex ipſius NAUGERII ſcriptis, brevem ejus vitæ Hiſtoriam diligentiſſime concinnavimus. Hæc ſunt quæ in hac Editione præſtitimus. Tuæ humanitatis erit, Lector candide, ſi alicubi a nobis peccatum fuerit, ignoſcere; & ſi quid forte, præſertim in orthographia, deprehendas quod tibi minus probetur, non continuo id vitio vertere; ſcis enim, in ea re tot pæne ſententias eſſe quot capita. Utinam hæc qualiacumque tibi, atque eruditis omnibus grata accidant: erit ſcilicet, cur ſumtus,

tus, & labores noſtros, qui non mediocres hercule fuerunt, leves arbitremur; noſtraque deinceps cura excitetur ad majora in dies publicis commodis, utilitatique adornanda.

DEDICATIO FABULARUM GABRIELIS FAERNI.

Illuſtriſsimo & Reverendiſsimo Præſuli

FORTUNATO MAUROCENO

Epiſcopo Tarviſino, & Pontificii Solii Epiſcopo Aſſiſtenti

Jo. Antonius Vulpius S. P. D.

NOn deerunt fortaſſe, Præſul ſapientiſſime, quibus res inſolens planeque a decoro aliena videatur, me tibi potiſſimum, viro & inſtituto vitæ, & dignitatis ratione graviſſimo, haſce GABRIELIS FAERNI Fabulas quæ iterum proferuntur, nugas videlicet ac primæ ætatis oblectamenta (ſic enim ipſi appellare amant) inſcribendi conſilium cepiſſe. Quid enim, dicent, Epiſcopo cum Apologis? aut quid tandem emolumenti fecerint rei Chriſtianæ otioſorum hominum cogitata, acuta quantumvis atque elegantia? Huic ego generi obtrectatorum ad re-

pre-

prehendendum accuſandumque paratiſſimo ſatis reſponſum eſſe arbitrabor, ſi unam tantummodo aut alteram pagellam vertere voluerint: invenient enim, Silvium Antonianum, incredibili doctrina & pietate hominem, atavorum temporibus, hunc eumdem Fabularum Libellum, quum primum ederetur, Carolo Borromæo, S. R. E. Cardinali, dicaviſſe: ei ſcilicet quem propter excellentes divinaſque virtutes inter Cælites locatum veneramur. Quod ſi clariſſimo exemplo uti non liceret, non continuo mihi defenſionem omnem ereptam exiſtimarem. ſuppeditaret quippe longe gravior Sacrorum Librorum auctoritas, in quibus alicubi * arbores inter ſe colloquentes, & de rege creando deliberantes introducuntur: quod certiſſimum argumentum eſt antiquitatis & nobilitatis Fabularum. At ſint hujuſmodi narrationes puerorum præcipue cauſſa effictæ: num propterea principum virorum auribus indignæ cenſeri debent? Inter illa quæ antiquis legumlatoribus, rerumque publicarum conditoribus cordi fuiſſe legimus, primum fere locum obtinuit inſtituendæ juventutis cura; videbant etenim, in ætate illa rudi atque infirma bonorum malorumque temporum ſemina contineri; & iccirco nihil tenue, nihil puſillum ducebant, cujus adminicu-

* *Judicum cap. 9. v. 8.*

lo parentes melioribus liberis uti poſſent. Quantum vero nudam illam & incomtam veritatis faciem pueri aſpernentur, omnibus, opinor, paullo humanioribus perſpicuum eſt. Neceſſe igitur fuit ad eorum animos pravis cupiditatibus liberandos, virtutiſque amore ſenſim imbuendos, præceptis e media philoſophia petitis jucunditatis aliquid inſpergere, ne ſcilicet honeſtarum rerum tædio ac labori turpium voluptatem anteponerent. Hinc porro intelligi poteſt, multa ex poetarum figmentis, eaque non contemnenda, in hominum vitam commoda promanare. illud modo caveatur, ne ſine ullo diſcrimine quæcumque ab iis per ludum & jocum, aut etiam altiori quadam obſcuraque ratione ſcripta ſunt, adoleſcentibus ediſcenda proponantur. Nam ut olim Aegyptus magnam utilium, magnam item noxiarum herbarum vim producere, vulgari proverbio ferebatur; ſic in poematis futiles, molles, impiæque ſententiæ, prope ſalubres honeſtaſque collocatæ, paſſim occurrunt, quæ mentes imperitorum a recti ſtudio facillime abducere, integriſque moribus peſtem atque exitium præſentiſſimum afferre poſſint. Quapropter ſingularem innocentiæ laudem tuliſſe videtur GABRIEL FAERNUS, qui Fabularum ſuarum materiam deligens ex optimis antiquitatis auctoribus, tamquam Catoni alicui,

aut

aut Curio induſtriam ſuam probaturus, eam ſemper in ſcribendo conſtantiam tenuit, ne quid minus virile, minuſve caſtum verſiculis ſuis immiſceret, & iis plerumque argumentis uteretur quæ ad appetitus legentium contrahendos, virtutemque commendandam valde profutura exiſtimaſſet. Hæ igitur me cauſſæ cohortatæ ſunt, Præſul ornatiſſime, ut hoc tibi munuſculum fidenter offerrem: ſed in primis admirabilis humanitas tua dubitantem confirmavit; cujus ope & plurimum gratiæ apud omnes qui te noverunt collegiſti, & ut præ ceteris litterarum ſtudioſi te certatim diligerent, effeciſti. Quum etenim ea in familia natus ſis, quæ in vetuſtiſſimis florentiſſimiſque totius Venetæ Civitatis numeratur, eumque Patruum habueris, qui rerum bellicarum ſplendore adeo claruit, ut cum invictiſſimis omnium ſæculorum imperatoribus conferri debeat, ejuſque nomen, licet exſtincti, barbaris nationibus timorem adhuc fugamque injicere poſſe videatur; in hac nihilominus tanta benignitate fortunæ, ſuperbiam, faſtidium, arrogantiam tibi magnopere fugienda eſſe duxiſti, idque ab adoleſcentia vitæ genus amplexus es, in quo nihil præclarius habetur, quam dignitates atque opes excelſo animo deſpicere, unam colere pietatem, inanibuſque vulgi opinionibus ſummo ſtudio adverſari. Atque ibi

ætatem jucundiſſime exegiſſes, niſi Clementis XI. Pont. Max. providentia te ad Tarviſinam Eccleſiam adminiſtrandam e ſolitudine illa evocaſſet. Hoc autem quanto conſilio ab Optimo Pontifice factum ſit, ii demum intelligunt quibus ingenii, prudentiæ, doctrinæque tuæ magnitudo antea perſpecta eſt. ut enim de rerum divinarum ſcientia, quam tibi longis vigiliis aſſiduoque labore comparaſti, nihil in præſentia loquar, nullum fere diſciplinarum genus eſt quod non attigeris; nullum, cujus doctores non in familiarium amicorumque loco ſemper habueris. Memini ego, &, dum ſpiritu perfruar, non ſine grato quodam animi ſenſu, meminero, te, quum primum inſtitutum hoc noſtrum vulgandi illuſtrandique bonos auctores & cognoviſſes, & probaſſes, domum noſtram cupidiſſime adventaſſe, nobiſque gratulatum eſſe hanc juvandi elegantiores litteras voluntatem, itemque pluribus verbis hortatum eſſe, ut ſuſceptum opus, contemtis malevolorum hominum reprehenſionibus, majore in dies alacritate urgeremus. quod etiam præſtitit germanus Frater tuus, Vir Ampliſſimus, tuique vere ſimillimus, qui nuper Patavini Gymnaſii procurationem accepit; quum ei Andreæ Naugerii Monumenta, noſtris curis collecta atque exornata, præbuiſſem. Nobis igitur eo ſtudio quo cœpiſti, Antiſtes humaniſſime, fa-

favere, obſecro, perge: &, ubi per otium licuerit, FAERNUM in manus ſume, ejuſque lectione animum ſeriis cogitationibus fatigatum remittere atque oblectare velis. id ſi feceris, magnum pulcherrimumque laborum meorum tuliſſe fructum mihi videbor. Vale. Idibus Januariis. CIↃ IↃ CCXVIII.

PRAEFATIO IN FABULAS GABRIELIS FAERNI.

LECTORI BENEVOLO.

LATINAE Poeſeos incorruptus ille candor, germanaque ſuavitas, quam elegantiſſimi doctiſſimique homines ante duo fere ſæcula pertinaci labore, optimorumque poetarum imitatione adſecuti fuerant; neque ita longo intervallo temporis conſenuit, & jamdiu celebrari, atque in pretio haberi deſiit, amice Lector. Ut enim Sannazarios, Fracaſtorios, Bembos, Naugerios, Caſtilionios, Flaminios, Amalthæos, Vidas, Lampridios, Caſas, ceteroſque eorum ſimiles fatum ſuum peremit; pauci admodum ad noſtram uſque ætatem exſtiterunt qui aut ipſi aliquid egregium, & poſterorum cognitione dignum

gnum hoc in genere præſtare poſſent, aut ullum omnino antiquæ ſimplicitatis guſtum habere viderentur. Rurſus igitur ad barbariem, ſeu quid barbarie fœdius atque inquinatius eſt, res poetica paullatim rediit: quum interea homines leviter litteris imbuti, ſuoque judicio beati, illud in condendo carmine unice ſpectarent, ne quid ſyllabarum rationi legique metricæ adverſaretur: nihil præterea de verborum delectu, nihil de figurarum ſplendore, de ſententiarum gravitate, de moribus animique affectibus exprimendis, de totius denique fabulæ ſtructura & compoſitione ſolliciti. Quæ nihilominus judiciorum perverſitas utcumque ferri potuiſſet, niſi ad illam gravius longe malum acceſſiſſet. quum enim primum ea colluvio in ſcholas invaſit, ſimul ornatiſſima, magniſque curis & vigiliis elaborata poemata de manibus adoleſcentium excuti cœperunt; ut jam plerique ex iſtorum numero qui aures ſuas ineptiis dedidere, illuſtrium ſcriptorum nomina ne fando quidem audiverint; quum ceteroquin *Suffenos, & venena omnia* (ut Catulli verbis utar) tamquam ungues & digitos ſuos diligentiſſime teneant. Quo magis noſtra hac tempeſtate danda opera eſt, ut, quando in pulcherrimam ſpem veteris eloquentiæ reſtituendæ nos adduxit excellentium quorumdam virorum induſtria, qui acerrimum contra

tra falſas iſtiuſmodi opiniones bellum gerere numquam intermittunt; cultiſſimi quoque poetæ ex abdito bibliothecarum, ubi hactenus delituere, in lucem & conſpectum hominum, quaſi poſtliminio, revocentur, in eumque locum exiſtimationis & gloriæ, unde per ſummam injuriam dejecti deturbatique fuerant, tandem aliquando reſtituantur. GABRIELIS itaque FAERNI Fabulas, ex antiquis auctoribus delectas, carminibuſque comprehenſas iterum proferre conſtituimus, digniſſimas ſane, non ſolum quæ a pueris in ſcholis ediſcantur, ſed & in quibus legendis univerſi qui litteras amant, otium ſuum collocare non dedignentur. quum enim formandis juventutis moribus multa utilia ſalubriaque præcepta continent, tum eo lepore conditæ, eaque Latini ſermonis proprietate inſignes exſiſtunt, ut ex iis Terentianæ atque Horatianæ veneres quodammodo redolere videantur. Fabulis porro & alia ejuſdem ſcriptoris Carmina adjungere viſum eſt, in quibus omnibus elegantia par & doctrina conſpicitur, in primis vero ſtudium probatiſſimorum melioris ævi poetarum mirum in modum elucet; ſine quo Latinas Muſas qui tractant, ii demum gnaviter inſanire dicendi ſunt. Et quoniam eadem fati acerbitas FAERNUM præripuit, quæ Andream Naugerium, antequam ſcilicet fructum aliquem laborum ſuorum capere

re poſſet, iccirco Libellum quem de Verſibus Comicis inchoaverat, omittere noluimus; exiſtimantes gratum futurum eruditis id qualecumque ingentis operis rudimentum: non ſecus ac qui ſignis & picturis delectantur, nobilium artificum ſimulacra non modo perfecta atque expolita, verum etiam mutila, vel primis tantummodo lineis informata conquirere conſueverunt. Ex hoc autem fragmento plurima σφάλματα, quæ in editionem Florentinam anni M. D. LXV. irrepſerant, ſententiamque fœde turbabant, accurate ſuſtulimus. Addidimus etiam FAERNI Præfationem (ut vocant) in Philippicas M. T. Ciceronis ex vetuſtiſſimo Codice Vaticano ipſius induſtria emendatas, nec non Vincentii Luchini, Petri Victorii, & Silvii Antoniani Epiſtolas ad FAERNUM pertinentes, eo conſilio ſcilicet, ut ingenium, & probitas viri, magnique pro bonarum litterarum dignitate ab illo exantlati labores adoleſcentibus innoteſcerent. Aliam denique FAERNI Epiſtolam vernacula lingua conſcriptam, & a paucis omnino viſam, qua Caroli Sigonii emendationes nonnullæ in T. Livium reprehenduntur, & vulgata lectio defenditur, ut oculis tuis exhiberemus, Lector candide, nobis auctor fuit Dominicus Lazarinus de Murro Maceratenſis, vir nobiliſſimus, qui Græcas Latinaſque litteras in Patavino Gymnaſio ſumma

ma cum laude profitetur, & hoc potiſſimum anno T. Livii Hiſtoriarum libros docte & copioſe explanat, iiſdemque a Criticorum temeritate ſæpius male habitis ſaluti atque adjumento eſt. Hujus igitur cohortationem humaniſſimam, quam ante FAERNI Epiſtolam collocavimus (quod bono tuo fiat) perlegere ne graveris, noſque ad cetera quæ ſunt in manibus, perficienda favore tuo alacriores redde.

DEDICATIO POEMATUM HIERONYMI FRACASTORII.

Marchioni Illuſtriſſimo

SCIPIONI MAPHAEIO,

Patricio Veronenſi, Eruditiſſimo ac Sapientiſſimo Viro,

Joannes Antonius Vulpius S. P. D.

MULTAE cauſſæ me impulerunt, SCIPIO MAPHAEI, Vir illuſtriſſime ac ſapientiſſime, ut HIERONYMI FRACASTORII Poemata, itemque JOANNIS COTTAE, JACOBI BONFADII, ADAMI FUMANI, & NICOLAI ARCHII, Veronenſium Poetarum, Carmina nonnulla, ſuavitatis atque elegantiæ pleniſſima, quæ

nunc noſtris curis emendata de integro prodeunt, in tuo potiſſimum nomine apparere vellem. Primum enim, quam de tua ſingulari virtute, præſtantique litterarum ſcientia, opinionem jamdiu animo imbiberam, eam omnibus certo aliquo teſtimonio ſignificare vehementer cupiebam; non quod ex meo qualicumque ſuffragio ullam tibi gloriæ acceſſionem fieri poſſe exiſtimarem; quippe hoc levitatis ac dementiæ fuiſſet non ferendæ: ſed potius ut in te obſervando colendoque ipſe mihi ſatisfacerem, ab eorumque ſtupore longiſſime abeſſem qui maximorum ingeniorum luce, inſolitæque doctrinæ ſpecie nihil admodum commoventur. Deinde illud cogitabam; quemadmodum olim FRACASTORIUS, doctiſſimis monumentis ad ſempiternam memoriam temporis propagatis, urbis Veronæ, in qua natus erat, Italiæ totius, ac ſui denique ſæculi decus atque ornamentum exſtitiſſet, eamque ſcribendi carminis facultatem adeptus eſſet, ut uno Virgilio inferior, vel æmulorum confeſſione judicaretur: ſic te ex ampliſſima vetuſtiſſimaque familia pariter Veronæ ortum, divina providentia delectum eſſe, qui ſcriptis editis immortalibus ætatem hanc noſtram mirifice illuſtrares. Nemo ſatis pro dignitate laudare poſſit Libros illos tuos vere aureos in quibus contra falſas quorumdam opiniones acer-

rime

rime diſputas, qui futilibus impiiſque præceptis nobilium virorum animos contentionis rixæque cupidos efficere ſtudebant. Eas nimirum diſputationes, ſimul ac typis deſcriptæ circumferri cœpere, tanto favore omnes boni proſecuti ſunt; ii præſertim quos curare oportet ne quid Chriſtiana Reſpublica detrimenti capiat; ut veteris immanitatis notas, quas barbarorum in Italiam adventus noſtris moribus fœdiſſime inuſſerat, ſapientia tandem tua penitus deletum iri prædicarent. Quis autem non valde miretur, hominem philoſophiæ ſemper vacantem, ſummique officii rationem diligentiſſime perquirentem, ſi ad manſuetiores Muſas oblectamenti cauſſa interdum acceſſerit, iis palmam eripere qui ætatem omnem in eo ſtudiorum genere conſumſerunt? Te vero ejuſmodi eſſe quum alia multa teſtantur, tum in primis Tragœdia nobilis, quam ad veterum Græcorum lucernam elaboratam, his proximis annis publice ſpectandam exhibuiſti. hæc ſcilicet ubicumque locorum acta eſt, fletum ſpectatoribus excitavit; nec tantum quum daretur nova, at decies repetita multitudinis oculos tenere potuit. Præclarum eſt, in ſingulis diſciplinis ſingulos homines excellere; at quanto præclarius, unum aliquem reperiri qui quæcumque fere in diſceptationem cadunt, innumerabilia ſane, ac nullis prope terminis de-

finita, animo universa comprehendat? Si quis hoc fieri neutiquam posse arbitratur, is domum tuam veniat, tecum colloquatur, periculum faciat in litteris, in arte dicendi, in differendi subtilitate; interroget de pietate, de justitia, de finibus bonorum, de administratione reipublicæ, de institutis populorum: historiam sibi promi petat, poetam aut oratorem explicari, veteris lapidis aut numismatis inscriptionem declarari; nulla ex parte imparatum offendet, sed contra omnibus doctrinis & artibus instructissimum admirari cogetur. Ad has causas, quas hactenus memoravi, illa vel gravissima accedit, te, si quis alius hoc tempore, cum fucata eloquentia justas inimicitias suscepisse, nihilque in dicentibus probare solere quod non simplex, non candidum, non rectum, non denique utile sit. Est hoc nobilitatis tuæ, quam animus veritatis studiosus, & qui neminem fallere postulet, summe decet. quid est enim tam plebejum, quam vel in vita, vel in oratione mendaciis rem agere? Quo fit etiam ut ab omni arrogantia superbiaque maxime abhorreas, quæ vitia plerique nobilium otio diffluentes, eo consilio adhibent, ut nimirum inertiam suam ad populum tegant, ac ne plane cessare videantur. Et quamquam generis claritate, ceterisque ornamentis, quæ ipse tibi magna virtute comparasti

raſti, nemini concedas, Fratremque habeas, apud Principes Germaniæ Viros gratia, opibus, dignitatibus mire florentem, nihilominus facilem te in audiendis admittendiſque hominibus præbes, comiter unumquemque appellas, citiuſque fortunæ tuæ obliviſceris, quam humanitatis. Accipe igitur, Vir ſapientiſſime, hilari vultu munuſculum hoc noſtrum, Poetaſque elegantiſſimos, cives tuos, & ipſe amare, & aliis commendare velis. Hoc mihi gratius accidere nihil poteſt. Vale. Patavii CIↃ IↃ CCXVIII. Kal. Septembris.

PRAEFATIO IN POEMATA HIERONYMI FRACASTORII.

LECTORI BENEVOLO.

NOn ſum neſcius, erudite Lector, plurimos inveniri qui de Poetarum ſtudiis, deque univerſo genere Poeſeos ita ſtatuant, rem eſſe minimi pretii, & quæ magna ingenia ab inquirendæ veritatis ſtudio ad nugas & ſomnia ſæpe traducat: proptereaque recte Platonem feciſſe dicant, qui a Republica illa ſanctiore quam

ipſe


image
not
available

genus hominum, qui ſe quidem Muſas amare dicunt, & poemata magni facere, ſed qui perverſe adeo de poetis judicant, ut illis ejuſmodi aures eſſe exiſtimes quales olim Regi Midæ fuerunt; cui ſcilicet Jovis filium Apollinem, dignum convivio deorum citharœdum, ad Panos ruſtici numinis ſuavitatem nimium nugatorem viſum fuiſſe perhibent. Enimvero majus in hæc ſtudia periculum intenditur ab his qui ſe amicos profitentur, quam ab illis de quibus antea diximus, reprehenſoribus. nam illi quidem ſuum negotium agunt, ac veluti in alio terrarum orbe collocati, noſtra neque attingunt, neque magnopere curant: hi vero importune adſunt, inſiſtunt, omnia permiſcent, omnia inquinant, & quum elegantiores Muſas vix a limine ſalutaverint, vel in eos magiſtros inciderint a quibus nihil ſapere docti ſint, nihilominus, tamquam ex tripode ac lauru, conſulentibus reſpondent, unumquemque ſcriptorem trutina examinant, ſuas cuique dignitatis partes tribuunt, alios probant, alios damnant, indicta ſæpe cauſſa; quod iniquiſſimum pariter ac ſtultiſſimum eſt. Horum judicio (ut in præſentia tantummodo leviora perſequar, & exemplis res illuſtrior fiat) Catullus, quem Aulus Gellius *elegantiſſimum poetarum* appellare non dubitavit, quem omnis antiquitas ſic eſt admirata, ut docti cognomine dona-

ve-

verit, aſper atque horridus eſt, iis vero numeris gaudet, quos eorum delicatiſſimæ aures ferre nullo modo poſſint; penitus inſuper argutiis caret: (hoc nomine ipſi pueriles ineptias, crebras paronomaſias, exquiſita antitheta, abſurdas translationes, & reliquas hujuſmodi orationis labes honeſtare conſueverunt) ad hæc, quod maxime dolendum eſt, obſcuras hiſtorias fabulaſque conſectatur, quæ lectorem alio properantem, non ſine temporis diſpendio, idemtidem remorantur. Quod ſi forte de Lucretio mentio facta fuerit, tum vero nauſeant, vehementerque indignantur. nam, præterquamquod ſcriptor ille ἄθεος religionem omnem funditus tollere conatur, longiſſime quoque abeſt ab ea ſuavitate quam ipſi venantur aſſidue: Ennii, ac Pacuvii veſtigiis nimium inſiſtit, verbis utitur obſoletis, hiulcos diſſolutoſque numeros amat, ita denique agreſtis, ita incomtus eſt, ut a pueris gratiam omnino inire noluiſſe videatur. Fuerit Lucretius optimus Latinitatis auctor; quid tum? id ipſi in minima laude ponunt: non enim Latinam, ſed mollem potius & pictam orationem requirunt, qualem hoc proximo ſæculo ingenioſiſſimi homines, bona cum Ciceronis, aliorumque veterum venia, in medium protulerant, nunc vero ingenti piaculo ſceleſti quidam oppugnare non verentur. Quamobrem & Virgilium

accu-

accuſant, quod antiquiorum auctoritatem ſecutus, non uſquequaque concinnum ſe præbeat: Lucanum, aut Statium, aut Claudianum, ſi diis placet, in condendo carmine rotundiores eſſe ajunt; vel ſi hoc dicere reformident, imitatione tamen ſua, quum aliquid ipſi ſcribere aggrediuntur, quid ſentiant, ſatis aperiunt. Jam de Elegia, ejuſque ſcriptoribus, mirum eſt quantum a Fabio Quintiliano diſſentiant, qui nimirum litteris tradiderat, in eo genere *ſibi terſum atque elegantem maxime auctorem Tibullum videri; non deeſſe tamen qui Propertium mallent: Cornelium* autem *Gallum duriorem, Ovidium laſciviorem* eſſe pronuntiavit. Inepti ſcilicet ac præpoſteri homines, meliores ſe harum rerum æſtimatores fore confidunt, ac ille olim vir exſtiterit, ea præſertim ætate natus, qua verius longe certiuſque judicium de hujuſmodi ſtudiis fieri poterat, quam hac noſtra. nondum enim deſierant Latina lingua loqui, & quid eſſet Romanæ elegantiæ, vel tabernarii & aniculæ facile dignoſcebant. In uno igitur Ovidio libentiſſime conquieſcunt, hunc unum admirantur, hunc ſibi ad imitandum proponunt: quam vero ejus ſimiles evadant, ipſi viderint. niſi forte in optimorum imitatorum numero reponendi propterea ſunt, quod ſemper de fæce haurientes, & ea potiſſimum colligentes in quibus ingenio ſuo nimium indulſit ſcri-

ptor ille, alioqui digniſſimus qui legatur, & quantivis pretii, crebris eorumdem verborum repetitionibus utuntur: duarum ſyllabarum voces in fine pentametri diligenter collocant, polyſyllabis omnibus, tamquam horridioribus, rejectis: penthemimerim, ſeu ſemiquinariam cæſuram, in hexametro fere ſervant: ſingulis diſtichis ſingulas ſententias comprehendunt: qui ſecus fecerit, hunc artis ignarum eſſe ajunt, magnoque in errore verſari affirmant: quod ſalſas denique, eaſdemque duriſſimas leges ſtudioſis adoleſcentibus imponunt, quas illi violare ſine ſummo ſcelere non poſſint. Ab his igitur, ſi ſibi conſtare velint, conſilium hoc noſtrum edendi tanto intervallo HIERONYMI FRACASTORII Poemata, item JOANNIS COTTAE, JACOBI BONFADII, ADAMI FUMANI, NICOLAI ARCHII Carminum reliquias, improbari certe, fortaſſe etiam derideri, neceſſe eſt. FRACASTORIUS etenim, dummodo Virgilianam illam gravitatem, heroicis carminibus ſcribendis, adſequeretur, argutiores poetas, quos ipſi tantopere amant, omnino contemſit: reliqui vero, neſcio quo malo Genio inſtigante, ita Catullo aut Propertio addicti ſunt, ut Martialis & Ovidii ſcripta vix umquam attigiſſe videantur. Sed iſta omni oratione omiſſa, levibuſque hominibus valere juſſis, tibi, tuæque fidei, erudite

Le-

Lector, hos elegantiſſimos Muſarum alumnos cuſtodiendos tradimus: quos & multo emendatiores quam antea, & pleniores invenies; nonnulla enim addidimus quum ex Gagnæji, ac Taygeti Carminum Collectionibus, tum ex aliis etiam libris; quæ ſi legeris, te induſtriæ noſtræ non pœnitebit. Exiſtimavimus autem, Poema illud ſacrum quod FRACASTORIUS de Joſepho inchoaverat, quamvis longe poſitum infra Syphilidos dignitatem, ceteris tamen egregii viri monumentis eſſe adjungendum: ſunt enim & quos magnorum operum rudimenta delectent, & qui ad ea perficienda excitentur quæ alii aut curis gravioribus, aut infortunio impediti, tantummodo adumbrata reliquere. Ejuſdem Poetæ rerum geſtarum narrationem, non illam quidem accuratiſſime ſcriptam, (ſunt enim in ea nonnulla quæ vix intelligas) verum ſimplicem, & ſingularem, ne prorſus abjicere velis. nam ut meliorem de integro daremus, tantum otii non habuimus. Mirabitur fortaſſe quiſpiam, atque indigne feret, JACOBUM BONFADIUM, Veronenſem a nobis appellatum, quum aliqui e ſcriptoribus eum Brixianum fuiſſe malint. Nos pleriſque fidem tribuere ſatius eſſe duximus; nec tamen, quid de hac re homines ſentiant, multum laboramus. Tu interim, amice Lector, ſi quid ad juventutis ſtudia promo-

venda labore noſtro collatum eſſe cenſes, neque nos indignos putas quorum conatibus faveatur, hilari fronte hunc Libellum excipe, daque operam ſedulo, ne poſteritas hanc bonarum litterarum cauſſam, quæ nobis tanto ſumtui eſt, a te neglectam fuiſſe, aliquando conqueri poſſit.

DEDICATIO POEMATUM JACOBI, SIVE ACTII SINCERI SANNAZARII.

Illuſtriſsimis atque Excellentiſsimis Viris

ALOYSIO PISANO Equiti, ac Aedis D. Marci Procuratori, JOANNI PETRO PASCHALICO, MICHAELI MAUROCENO, Rei Litterariæ Moderatoribus,

Jo. Antonius Vulpius S. P. D.

SI quis eſt cui mirum forte videatur, ACTII SINCERI SANNAZARII, elegantiſſimi hominis, Poemata, ſublatis mea cura librariorum erroribus, in lucem rurſus prodeuntia, a me vobis offerri, Viri Ampliſſimi; is profecto aut ea numquam legit, aut oſcitanter, minimeque intento animo legit. Quum enim Poeta ille recti amantiſſimus, de immortali Venetorum Republica omnia egregia & præclara ſen-

ſentiret, diligenter providit, ne ſententia hæc ſua paucis tantummodo familiaribus nota eſſet, ac deinde oblivione deleretur. Splendidis itaque magnificiſque carminibus, audiente atque invidente reliquo terrarum orbe, admirandæ Urbis veſtræ dignitatem, veſtrorumque clariſſimorum Civium libertatem ornavit. quæ carmina quanto in pretio habenda ſint, & inſigni liberalitatis exemplo Senatus eo tempore declarare voluit, & ex ipſius Poetæ natura facile colligi poteſt: non enim is erat SANNAZARIUS qui libenter adſentaretur, ſed potius qui hominum vitia acerrime exagitaret, neque illos quidem intactos abire ſineret quibus opes & potentia ſcelerum impunitatem quodammodo peperiſſe videbantur. Hæc eſt demum vera laus, quæ a magni & excelſi animi viro proficiſcitur, neque ſpe, neque metu extorta: ad hanc improbis & puſillis hominibus omnino adſpirare non licet. Quapropter ad neminem alium niſi ad vos hujuſmodi ſcripta deferenda erant, Viri Ampliſſimi, qui publico Venetorum Patrum decreto, graviſſimæ ſtudiorum procurationi præfecti eſtis, diſciplinas autem quæ ab humanitate nomen habent, præcipuoque urbibus ornamento ſunt, vel in primis diligitis, & coli gaudetis. Poetam igitur veſtrum benigne atque hilare excipite, ejuſque carminibus legendis, majorum gloriam agnoſcite,

ſcite, quæ tamquam hereditate ad vos uſque pervenit. ſtat enim, DEI OPT. MAX. beneficio, Reſpublica veſtra, ac tamdiu ſtabit, quamdiu genus ipſum hominum permanebit. Utinam vero aliquid non contemnendum ipſe ingenii mei viribus præſtare poſſem, nec ſemper, ad meam erga vos obſervantiam ſignificandam, alieno adminiculo indigerem: nemo profecto eſſet qui virtutes veſtras majore ſtudio atque alacritate celebraret. At quoniam eloquentia excellere, perpaucorum eſt, neque id mihi natura conceſſit; hoc qualecumque munuſculum æqui bonique conſulite, Viri Ampliſſimi, meoſque conatus, quæſo, patrocinio ac benevolentia veſtra proſequimini. Valete. Patavii. Idibus Novembris. CIↃ IↃ CC XVIII.

PRAE-

PRAEFATIO IN POEMATA JACOBI, SIVE ACTII SINCERI SANNAZARII.

ERUDITO LECTORI S.

QUOD polliciti ſumus anno ſuperiore, nos videlicet daturos operam ut cultiſſimi quique probatiſſimique ſcriptores qui ſæculo poſt CHRISTUM ortum decimoſexto Latinas litteras a barbarie vindicavere, novo quaſi lumine illuſtrati, in manus hominum pervenirent, id ſedulo præſtare pergimus, erudite Lector. Ecce tibi ACTIUS SINCERUS SANNAZARIUS, poeta merito ſuo ab omnibus fere celebratus, atque illis tantummodo ignotus quibus vita elabitur dormitantibus, & quos nulla de rebus optimis cura umquam attingit. Ex hujus carminibus, antiquarum editionum ope, menda typographica paſſim ſuſtulimus; quæ res ad inſtitutum hoc noſtrum potiſſimum ſpectat. Quidquid autem de clariſſimo genere, de fortuna, de ſtudiis, de amicitiis, ceteriſque caſibus tanti viri, memoriæ proditum eſt, non mediocri labore ac diligentia ex variis libris collegimus, perpetuaque narratione contexuimus; eſt enim

enim doctis hominibus jucunditati, quorum ingenium admirentur, eorum eventus moresque cognoscere. Gravissimos etiam laudatores excitavimus, qui SANNAZARIO singularis eruditionis doctrinæque testimonium tribuerent; ut scilicet auctoritatem, qua ipsi caremus, ex aliorum sententiis mutuaremur. Indicem quoque rerum memorabilium adjunximus, iis qui totum volumen perlegere noluerint, prope necessarium. Denique GABRIELIS ALTILII Epithalamium, exquisitæ venustatis poema, sed in quibusdam libris fœde corruptum, emendatius multo exhibemus; nonnulla item HONORATI FASCITELLI carmina, Catulli elegantiis affluentia, excudenda curavimus: quos poetas ACTIO SINCERO adjicere, non abs re visum est; ambos enim regio Neapoli finitima protulit, ALTILIUS vero SANNAZARIO sodalitate etiam conjunctus fuit. Hæc volebamus ne ignorares, amice Lector. Vale, fruere, ac fave.

DE-

DEDICATIO OPUSCULI AUGUSTINI VALERII DE CAUTIONE ADHIBENDA IN EDENDIS LIBRIS, &c.

Illuſtriſsimis atque Excellentiſsimis Viris

Patavini Gymnaſii Moderatoribus, ALOYSIO PISANO Equiti, ac Aedis D. Marci Procuratori, JOANNI PETRO PASCHALICO, MICHAELI MAUROCENO, Omnique Triumvirum Litterariorum Ordini Ampliſſimo

Jo. Antonius Vulpius S. P. D.

RAESTANTIUM ingeniorum quibus Reſpublica veſtra ſemper mirifice floruit, Viri Ampliſſimi Sapientiſſimique, Liber quem vobis offero, egregium quoddam ſpecimen eſt. Hoc nimirum perlecto, facile inter omnes conſtabit, elegantioribus diſciplinis, ab eo tempore quo primum deterſa barbarie, caput rurſus attollere, atque in pretio eſſe cœpere, neque magnificentius hoſpitium ullum, neque ampliora uſquam præmia, quam apud Venetam Nobilitatem, patuiſſe. Et ſane divina providentia factum arbitror, ut quæ Urbs Senatores graviſſimos, invictos belli Duces, Antiſtites religione, vitæque innocentia ſingulari, parere ac educa-

re consueviſſet, ea in Urbe præclari quoque Hiſtorici, & Oratores provenirent, qui Civium ſuorum virtutes & pulcherrima facinora omnibus eloquentiæ viribus celebrarent, atque oblivioni ſurripere niterentur. Exteri enim ſcriptores, quum res alienas litteris mandare inſtituerunt, multa plerumque ſilentio prætereunt, quæ ipſi minus perſpecta habent, aut in quibus narrandis nullus maledicto locus eſt; & quædam verbis extenuant, quorum magnitudo ac ſplendor malevolorum oculos quodammodo perſtringit; & nonnulla denique pejorem in partem interpretando, illuſtrium virorum laudibus graviter obtrectant, iiſque notam turpitudinis callide inurere conantur. Neque contra, in libera republica metuendum eſt, ne qui ejuſdem civitatis homines laudandos ſuſcipiunt, ſpe, gratia, amicitia ducti, modum in laudando non adhibeant; plurimi enim teſtes adſunt, in quorum conſpectu vita ejus qui celebratur, tota fere acta eſt; ad redarguendum ſcilicet paratiſſimi, ubi immane aliquod mendacium ſcriptor in medium attulerit, tamquam ſi cauſſæ ſuæ diffidere videatur. Quæ quum ita ſint, nolite, quæſo, Viri Ampliſſimi, me impudentiæ crimine accuſare, qui vos maximis occupationibus diſtentos moleſtus interpellator a gerenda republica paulliſper avocem; eſt enim pietatis veſtræ, ma-

majorum gloriam, quæ ad poſterorum etiam fructum redundat, commendatam habere: eſt ſapientiæ, tempus quod bonis libris legendis tribuitur, in maximo lucro ponere: eſt hujus præclari muneris quo fungimini, quidquid ad litterarum dignitatem pertinet, non ſolum æquis animis, verum etiam libentiſſimis, excipere, amplecti, tueri, ac denique auctoritate nutuque veſtro confirmare. Finem dicendi faciam, ſi prius paucula de me ipſo addidero; quod mihi per vos liceat, Viri Ampliſſimi. Quamquam honeſte rectèque agere, ipſum ſibi largiſſimum atque uberrimum præmium eſt, ego quidem certe hac ſpe unice ſuſtentor, ac recreor, id vos aliquando pro veſtra benignitate, effecturos, ne me umquam pœnitere poſſit, vitam laboribus vigiliiſque exercitam, & a voluptatibus alieniſſimam, turpi otio, ignobilique ſilentio anteponendam exiſtimaſſe: ac judicio veſtro longe graviſſimo declaraturos, ſollertiam ab ignavia ut re, ſic exiſtimatione diſtare plurimum. Sunt enim qui ſine ullo impetu pulſuque remorum, ventis tantummodo valde ſecundis, rectum dignitatis curſum ſe tenere arbitrentur: meque etiam irrideant hominem ſimplicem, qui probitate atque induſtria, obſoletis jam artibus (ut ipſi ajunt) aliquid profici poſſe confidam. Hanc porro opinionem in malorum animis penitus

inſitam, vos evellere convenit, Viri Ampliſſimi; quod ut fieret, ſedulo adhuc dediſtis operam, doctiſſimis experientiſſimiſque hominibus undique conquiſitis, & magna mercede invitatis, qui juventutem in hoc celeberrimum Patavinum Gymnaſium, tamquam ad mercaturam bonarum artium, confluentem, præceptis ſuis erudirent, atque utiliorem reipublicæ redderent. Horum veſtigia, ſi minus ingenio poſſum (quod mihi exiguum ſane a natura tributum eſt) at pertinaci ſtudio, aſſidua meditatione, inexplebili demum cupiditate litterarum, perſequi mecum ipſe decrevi. Multum quotidie temporis in jure civili, aliquantum in philoſophia, ceteriſque diſciplinis quæ juris civilis ſcientiam exornant, jam inde a prima adoleſcentia ponere ſolitus ſum: non eſt autem meæ verecundiæ, quid tantis conatibus profecerim, judicare. Peto igitur a vobis majorem in modum, Viri Ampliſſimi, ut ſtudia noſtra ex abdito in conſpectum hominum lucemque trahatis, idque vobis perſuadeatis, copiolas meas omnes, quas præceptoribus olim audiendis, deinde optimis libris pervolutandis, exercendoque ſtilo, multorum annorum ſpatio mihi comparavi, quum totius Reipublicæ Venetæ, tum vero maxime veſtras eſſe, & ſemper futuras. Valete, ac rem litterariam, quod facitis, bene & feliciter gerite. Patavii. Idibus Juniis. CIↃ IↃ CCXIX.

PRAE-

PRAEFATIO
IN IDEM OPUSCULUM, &c.

LECTORI BENEVOLO S.

EXPOSITURI, Lector benevole, quod consilium secuti, quibusve caussis adducti, hæc summorum Virorum Opuscula, disjuncta olim & dissipata, in unum tamquam corpus collegerimus, typisque describi jusserimus, rem paullo altius repetere necesse habemus. Quum JOANNES PETRUS PASCHALICUS, Venetus Senator Amplissimus, vir omni humanitate suavissimisque moribus præditus, in primis vero majorum suorum gloriæ perstudiosus, qui nunc inter Patavini Gymnasii Moderatores, magno litterarum bono numeratur, editionem Operum Andreæ Naugerii, Civis sui eloquentissimi, a nobis anno superiore non mediocri sumtu diligentiaque adornatam, & considerasset, & probasset; sciret præterea, nos in re nulla operam nostram libentius collocare, quam in iis quæ ad hujus immortalis Reipublicæ laudem ac dignitatem quocumque modo pertinere possunt; nobis per familiarem quemdam suum significavit, gratissimum sibi futurum, si, ubi primum suscepti alicujus

cujus operis ratio ac ſimilitudo pateretur, Orationem egregiam PETRI PASCHALICI, Viri e familia ſua celeberrimi, qui ante duo fere ſæcula, ob virtutis & eloquentiæ opinionem, quam conſecutus fuerat, ad potentiſſimos Europæ Principes, de maximis negotiis legatus a Senatu miſſus eſt, in Typographia Cominiana, cui præſumus, nova quaſi veſte indui, novoque cultu expoliri ſtuduiſſemus. Orationem porro ipſam, a paucis omnino viſam, quæ domi ejus adſervabatur, ſtatim ad nos perferendam curavit. Honeſtiſſimo igitur tanti Viri deſiderio obſequendum rati, nos id propediem facturos, idoneamque rei occaſionem captaturos, in nobis recepimus. Accidit autem peropportune, ut Camillus Varottus, Abbas, Canonicus Patavinus, vir omni laudum genere cumulatiſſimus, Libellum hunc AUGUSTINI VALERII, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Veronenſis, numquam antea typis editum, quem ab unico illo Antiſtite, veteris ſanctitatis exemplo, Gregorio Cardinali Barbadico, dono acceperat, nobiſcum benigne communicaret. Hunc olim Roma Barbadicus, talium ſcilicet mercium aviditſimus, Patavium ſecum attulerat: eumdemque vix in paucorum quorumdam bibliothecis hodie cuſtodiri ajunt. Scriptoris fama (nemo enim eſt vel mediocriter eruditus, qui VALERII doctrinam, vitæ innocen-

centiam, ejuſque pro Chriſtiana pietate res præclare geſtas, aut ignoret, aut non plurimi faciat) & ipſa ſcriptionis utilitas, nos impulerunt, ut voluminis edendi curam ſuſciperemus, ac tam exquiſito munere ſummam a doctis hominibus gratiam iniremus. Hoc brevi commentario, quot libros ad eam uſque diem confeciſſet (confecerat autem pæne innumeros) quibus moribus in adoleſcentia, in juventute, in reliqua vita fuiſſet, quos amicos habuiſſet, quid quovis tempore ſibi accidiſſet, VALERIUS diligentiſſime enarrat. Id vero præ ceteris inculcare non deſinit, ſe, quamquam ſcribendi jucunditate captus, voluptates alias omnes repudiaret, caviſſe tamen ſummopere, ne quæ animi tantum cauſſa, vel amicorum hortatu, litteris mandaſſet, ea temere in vulgus prodirent: plurima enim ſe ſcripſiſſe quidem fatetur, at pauca omnino emendare conatum eſſe. Quod graviſſimi Viri de ſe ſuiſque ſcriptis judicium quicumque attentius expendet, omnium ejus librorum συναγωγὴν atque editionem minus fortaſſe deſiderabit. Hanc etiam lucubrationem, ſi Auctori dicto audientes prorſus eſſe voluiſſemus, divulgari certe non oportebat; ſed ob hanc præcipue cauſſam eam edere decrevimus, ut quamobrem ceteræ non ſint edendæ, manifeſto apparere poſſit. Stilus VALERII non eſt ille quidem ad Ciceronis normam ſevere exactus;

actus; *fluit* enim *cum luto aliquo*, quemadmodum Auctor ipse testatur, longeque distat a Bembi, Sadoleti, aliorumque ejus ætatis clarorum hominum candore atque elegantia: perspicuus tamen est, simplex, ad res Ecclesiæ cum dignitate tractandas accommodatus, qui scriptoris denique animum ingenuum, & publicæ magis utilitatis quam suæ laudis appetentem, facile ostendat. Ridebunt, credo, nonnulli, quum audierint (id quod hoc volumine VALERIUS commemorat) Bernardi Naugerii Cardinalis eam fuisse sententiam, ut existimaret, antiquorum industria in omni disciplinarum genere omnem scribendi materiam posteritati præreptam; & iccirco novos libros meditari, hominis esse (ut Tullii verbis utar) intemperanter abutentis & otio, & litteris. At bonus Naugerius,

Si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum,

quo qui paullo sunt moderatiores, antiquorum vicem dolent, quibus nempe multa scire, temporum vitio, non licuerit; qui vero ingeniosos ac liberos se & esse, & haberi volunt, clamitant sæpius, veterum illorum fatuas plerumque ac deliras fuisse doctrinas, & nostro demum sæculo homines, tamquam e diuturno somno, ad rectius philosophandum excitari cœpisse; profecto sibi multo aliter sentiendum esse intelligeret. Sed videlicet ea tempestate (quamquam multis ad-

adverſantibus) ita opinari impune licebat. Quæ tamen opinio, eorum ſaltem levitati mederi poterit qui non ideo ſcripta ſua typographis tradunt, quod ea jampridem ad umbilicum perducta, accurateque caſtigata, doctorum virorum judicio comprobentur; ſed hoc potiſſimum conſilio ſcribunt, ut quæcumque ipſis exciderint, ſive utilia, ſive nullius pretii, ea ſtatim edere feſtinent; quo evenire neceſſe eſt, ut infinita, eademque inana librorum copia laboremus. Sed jam ad inſtituti noſtri rationem exponendam redeamus. Hunc VALERII commentarium adepti, in animum induximus, ei ſcripta quædam alia PATRICIORUM VENETORUM adjungere; tempus adveniſſe exiſtimantes quo obligatam Paſchalico fidem liberaremus. Quum autem Apoſtolus Zenus, vir celeberrimus, Cæſaris Hiſtoricus, & Poeta, quem honoris cauſſa nominamus, nonnihil de cogitatis noſtris audiviſſet, qua eſt inſigni erga nos, omneſque litterarum cupidos humanitate, auctor nobis fuit per epiſtolam, ut Cardinalis NAUGERII Vitam, a VALERIO, ſororis ejus filio, diligentius quam ſolebat, conſcriptam, & ante hos centum annos Veronæ editam, ſed raro admodum occurrentem, iterum cura noſtra proferremus, atque nitori ſuo reſtitueremus; mendis enim typographicis paſſim ſcatebat. Miſit etiam ad nos e biblio-

theca ſua, quam inſtructiſſimam poſſidet, veterum Orationum faſciculum, quas Veneti Patricii diverſis temporibus ac locis recitaverant (omnes autem fere oblivione ſepultæ erant) ex quo numero, quæ nobis hac nova luce digniores viderentur, eas deligere poſſemus. Codicem præterea manuſcriptum benigniſſime obtulit, in quo PAULLI BARBI Oratio ad Ludovicum XI. Galliæ Regem adhuc inedita continebatur. Incredibile enim eſt, quantam vir ille doctiſſimus rariorum & ſingularium codicum ſupellectilem congeſſerit; prodigii vero ſimile, quantam rerum hiſtoriarumque cognitionem pectore ſuo atque animo ipſe complexus ſit, ut merito eum vocare quis poſſit; quemadmodum olim Eunapius Dionyſium Longinum nominavit; βιβλιοθήκλω ἔμψυχον, ἢ περιπατεῖν μυσεῖον. Sed quamquam his copiis comparatis, liber nihilominus exiguus futurus erat (paucas enim Orationes e plurimis excerpſeramus) niſi Petrus Catharinus Zenus, Apoſtoli frater, Clericus Congregationis Somaſchæ, vir eruditiſſimus, & de univerſa litteratorum natione, in primis vero de Italorum ingeniis optime meritus, fraternam liberalitatem æmulari, atque editionem hanc noſtram inſigni theſauro (quo enim alio nomine appellemus?) locupletare voluiſſet. Tres enim Orationes PETRI BARROCII, Patricii Veneti, Epiſcopi Pata-

tavini, hominis, ut illa ferebant tempora, eloquentia & eruditione non vulgari, quas in membrana concinne admodum exaratas, ipſe in privata bibliotheca adſervabat, nobis edendi poteſtatem fecit; idemque CAROLI CAPELLI Orationem ſuppeditavit, habitam in funere Georgii Cornelii, Viri ſummi, quæ numquam typis deſcripta, Venetiis in bibliotheca domus religioſæ, ubi ipſe commoratur, longo tempore delituerat. Utinam vero Laudationem pulcherrimam, a BERNARDO NAUGERIO in funere Andreæ Gritti, Venetiarum Principis, recitatam, de qua valde honorifica doctorum virorum teſtimonia exſtant, hoc volumine exhibere potuiſſemus. At neſcio quo malo fato, quamvis ab eodem Zeno diligentiſſime perquiſita, nuſquam tamen reperta eſt. Hujus porro humaniſſimi, atque omni virtute ornatiſſimi fratrum paris, Apoſtoli ſcilicet, ac Petri Catharini, nullam meritorum partem non modo referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi nos poſſe, libenter fatemur; qui ſtudioſis univerſis, quam ſibi ſolis divites eſſe malunt, & clarorum hominum monumenta, quæ plerique alii, ne quiſquam attingat, centum ferreis vectibus obſerant, vel blattis & pulveri comedenda permittunt, ipſi, ut bonos ac magnanimos decet, reipublicæ commodo quotidie depromunt.

Nolumus autem, amice Lector, te mirari, CHRISTOPHORI MARCELLI, Canonici Patavini, Orationem, pluribus barbarorum sæculorum nævis plane deformem, testimoniis quæ de PETRO BARROCIO protulimus, a nobis interpositam esse; non enim verborum, aut sententiarum, sed narrationis dumtaxat rerum a BARROCIO gestarum, quæ in ipsa continetur, rationem habuimus. Petimus etiam ab istis qui se Ciceronianos profitentur (difficili sane ac fastidioso genere hominum) ut si huic volumini manum admoverint, passimque offenderint quæ ipsis Tullianam dicendi formam minus referre videantur, scriptoribus ignoscere, caussamque in tempora conferre velint. Sunt enim ut picturæ, ita & eloquentiæ rudimenta quædam. Quemadmodum vero pictores illi qui ante Apollodorum Athenienſem fuere, Hygiænon puta, Dinias, Charmas, Bularchus, & plerique alii, longissimo intervallo a Zeuxide, Timanthe, Parrhasio, Protogene, Apelle superati sunt, nec tamen a sanis hominibus contemti, quum artium inventoribus omnia debeantur; similiter, doctos & laboriosos viros qui paullo post renatas litteras, viam posteritati ad ornatius dicendum exemplo suo monstravere, risu & petulantibus jocis excipere, arrogantiæ atque impietatis est non ferendæ. Non diffitemur quidem, CAPELLI,

LI, GABRIELII, & LONGI Orationes propius a perfecto dicendi genere abeſſe; verum illud quoque affirmamus, in his omnibus illuſtrium Virorum ſcriptis, ſi minus Ciceronianam elegantiam, at certe Ciceronianam ſapientiam, quæ pars potior orationis eſt, inveniri. Quod ſi horridiora quoque eſſent quam ſunt, tamen ob virorum principum laudes quas complectuntur, digniſſima eſſent quæ legerentur; ut olim Saliare carmen, tum Livii Andronici, & Q. Ennii poemata, quamvis incomta, obſcuriſque verbis adeo referta, ut vix interdum intelligi poſſent, nihilominus & ſummo in pretio habebantur, & magna cum voluptate audiri ac legi ſolebant.

Poſtremo accuratiſſimos Indices duos huic volumini adjecimus, alterum Lucubrationum omnium AUGUSTINI VALERII, quem a multis vehementer efflagitari cognoveramus, maximam partem ex commentario DE CAUTIONE ADHIBENDA IN EDENDIS LIBRIS, concinnatum, ſuppletum vero ex Catalogo quem nobis Mediolano miſit Joſephus Antonius Saxius, S. Theologiæ Doctor, & Bibliothecæ Ambroſianæ in ea urbe Præfectus, Vir ſcriptis editis, doctrina, humanitate, ac religione clariſſimus: alterum nominum propriorum, rerumque memorabilium quæ toto volumine occurrunt, quo nimi-

mirum libri utilitas magis innoteſceret. Tu interim fave, Lector optime, & majora in dies a nobis exſpecta.

EPISTOLA AD JOANNEM PETRUM PASCHALICUM.

Illuſtriſsimo atque Excellentiſsimo Viro

JOANNI PETRO PASCHALICO,

Veneto Senatori Ampliſſimo, Rei Litterariæ Triumviro,

Joannes Antonius Vulpius S. P. D.

EXIMIA virtus habetur, JOANNES PETRE PASCHALICE, Senator Ampliſſime, reſpondere in amore iis a quibus omni officiorum genere provocere; non, quod ſine ſummo ac nefario ſcelere mutua prætermitti benevolentia poſſit, ſed quod hac temporum iniquitate plerique jam homines eo ſe ſcelere obſtringi facile patiantur. Illud tamen longe præclariſſimum exiſtimari debet, ei qui nullam adhuc obſervantiæ erga te ſuæ ſignificationem dederit, rationem qua de te optime promereri poſſit, quaſi digito monſtrare; ut ſcilicet in quem beneficia conferre cogites, eum antea dignum beneficio præſtes.

Qui

Qui hoc pacto aliis prodeſſe ſtudent, ii quodammodo DEI OPTIMI MAXIMI ſapientiam, ac liberalitatem imitari videntur, qui nos ideo primum bonos efficit, ut deinde beatos efficiat, & a quo perinde virtutes ipſas, ac uberrima virtutum præmia accipere homines conſuevere. Quorſum hæc pertineant, jamdudum ſentire te arbitror, Vir nobiliſſime atque humaniſſime; tuas enim laudes agnoſcas neceſſe eſt, quotieſcumque de ſingulari quadam beneficaque natura ſermo inſtituitur. Quum enim de ingenii mei mediocritate, & de ſtudiorum meorum ratione, deque amore quo liberales diſciplinas a puero ſum complexus, nonnihil audiſſes; continuo me non indignum cognitione ac benevolentia tua exiſtimaſti; utque mihi, tenui ſane homini & novo, aditum ad te aperires, futurum tibi gratiſſimum oſtendiſti (quod commodo meo fieri poſſet) ſi egregiam Orationem quam PETRUS PASCHALICUS, inclytæ Familiæ tuæ maximum decus atque ornamentum, ad Emmanuelem Luſitaniæ Regem Reipublicæ Venetæ legatus olim habuiſſet, typis Cominianis denuo excudendam curaſſem (exciderat enim fere ex hominum memoria, & in pauciſſimorum bibliothecis adſervabatur); ejuſque Orationis exemplum mecum benigne communicaſti. Ex hoc honeſtiſſimo deſiderio tuo, quanta in majores tuos pietate, quanta

ta in bonas litteras propenſione, & qua erga me ipſum voluntate ſis, facile perſpicere potui. quapropter dedi operam ſedulo, ut quamprimum tibi cumulate ſatisfacerem; non ſolum enim PETRI hujus PASCHALICI Orationem, ſed & plures alias Civium tuorum clariſſimorum, quæ aut calamo tantum exaratæ in publicum conſpectum nondum exierant, vel typis deſcriptæ, longo tamen ſitu ac pædore obſoleverant; alia item opuſcula elegantiſſima, & multum ſtudioſis hominibus profutura, non mediocri ſumtu, atque incredibili diligentia divulgari curavi; ut tibi potiſſimum qui me impuliſti, hanc egregiorum ſcriptorum editionem docti homines, nobileſque in primis Veneti adoleſcentes omnino debituri ſint. Nihil addam in præſentia de Familiæ tuæ laudibus, nihil de Fratrum tuorum, tui vere ſimilium, dignitate atque ſplendore; e quibus Georgius potiſſimum ſupremus totius Rei Maritimæ Præfectus, difficillimam provinciam ſumma cum ſua gloria, ac Reipublicæ utilitate adminiſtrandam ſuſcepit; nihil denique de tuis ingentibus ſpectatiſque virtutibus; res eſt enim neque ingenii mei, neque hujus loci, aut temporis, neque adeo quam eximia probitas & pudor tuus ullo modo pati poſſit. hæc omnia enitent ipſa per ſe, atque in oculis univerſorum poſita, nullius oratione ornari, aut clareſcere poſtulant.

lant. Rogabo potius, ut munuſculum hoc meum eo quo tibi offertur animo, accipias, ingenuo nimirum ac benevolentiſſimo; deinde ut rationibus meis conſulas enixe obſecro atque obteſtor, qui optime id præſtare potes, in eo ſcilicet dignitatis gradu collocatus ad quem te plurima & ſingularia in patriam merita, & præcipue mirificus quidam litterarum amor provexit. Vale. Patavii. Kal. Junii. MDCCXIX.

PRAEFATIO IN
CORNELIUM NEPOTEM.

LECTORI S.

CORNELIUM NEPOTEM, ſcriptorem elegantiſſimum, verbis nitidum, ſententiis gravem, ad juventutem pulcherrimis exemplis imbuendam idoneum, iis qui rempublicam adminiſtrant apprime utilem, non eſt cur longa oratione tibi commendatum velimus, amice Lector. Satis erit ſi dixerimus, eum, poſt renatas litteras, a doctis hominibus dignum ſemper habitum qui cum Cicerone, Cæſare, Terentio, aliiſque Latinitatis principibus, adoleſcen-

tium ingenia exerceret. Accipe igitur læto animo, egregii Auctoris quæ ſuperſunt monumenta, ut Romani ſermonis, veterumque hiſtoriarum ſtudioſis gratum faceremus, nova veſte a nobis induta. quamquam enim & in Germania, & in Gallia, & in Belgio, & in Anglia ipſa, novis in dies doctorum virorum curis illuſtrata prodierint, apud Italos tamen (quod harum regionum fatum eſt) deſiderabantur. Nam & minus ſæpe peregrinæ editiones huc importantur, & typographi noſtri ſuavibus nugis divulgandis plerumque occupati, rei familiaris metuunt detrimentum, ſi & hunc, & alios optimos libros recudendos ſuſceperint. Nihil enim fere noſtris adoleſcentibus probari vident, præter fabellas e Gallica in Italicam linguam converſas, aut neſcio quas doctrinarum epitomas, quæ, ſi diis placet, rudem & imperitum hominem, dieculæ ſpatio, vel Platone ipſo ſapientiorem efficere poſſint. Hæc cauſſa fuit ut jam inde ab Andreæ Aſulani, Aldi Manutii ſoceri, temporibus ad hanc uſque diem ſcriptor tam candidus * numquam in Italia (quod ſciamus) typis editus fuerit; magno certe Italorum opprobrio, qui ſibi litterarum laudem

* *Numquam in Italia*) Quum hæc ſcriberemus, ignota nobis erat ſcilicet Nepotis editio ad uſum Scholarum Collegii Romani Soc. Jeſu adornata, Romæ MDCCIX. Et fortaſſe aliæ nonnullæ reperientur, ſi quis diligentius inquirat; ſed fama adeo obſcura, ut nulla prope illarum habenda ſit ratio.

dem ab iis eripi paſſi fuerint quos olim barbaros ſuperbe nimium & contumelioſe appellabant. Sed hæc vetus jam & moleſta querela eſt: ad propoſitum redeamus. Ut huic noſtræ editioni pretium conciliaremus, dedimus operam ut quam emendatiſſima in manus hominum perveniret. Expreſſimus autem potiſſimum Schotti, & Savaronis, virorum doctiſſimorum, exemplaria; neque ea negleximus quæ nitidiſſimis typis excuſa, Notis Variorum (ut vocant) illuſtrata prodierunt. Inſuper Nicolai Jenſonis editionem principem, & Aldinam, ſumma diligentia ſcrutati, ſi quid inter legendum occurriſſet quod ad rem facere videretur, non inviti recepimus: quæ vero minus arriderent, rejecimus in Libellum Variarum Lectionum; ut ſcilicet noſtris laboribus uti volentes, antiquarum etiam editionum una opera fructum perciperent. Utriuſque autem codicis inſpiciendi poteſtatem nobis fecit nobiliſſimus juvenis * Alphonſus Alvarottus, Patricius Patavinus, idemque ſingulari humanitate præditus, & optimarum diſciplinarum, in primis vero Latinæ linguæ ſtudioſiſſimus; qui magnam exquiſitorum, præcipue ve-

* *Alphonſus Alvarottus*) Per eos fere dies quibus hæc noſtra Nepotis editio primum vulgata eſt, menſe nimirum Junio anni MDCCXX. generoſus juvenis, gravi morbo conſumtus, exceſſit e vita: & aliquanto poſt tempore Joannes ejus frater, natu minor, pariter mortem obiit: quibuſcum Alvarotta familia, inter Patavinas antiqua nobilitate, viriſque illuſtribus valde clara, penitus deleta eſt.

terum * librorum vim, incredibili animi ardore, atque ingenti ſumtu undique collectam, domi ſuæ adſervat, & cum melioris antiquitatis amatoribus libentiſſime communicat. Fragmenta NEPOTIS in pleriſque editionibus mire depravata, ad librorum unde ſumta fuerant, fidem exegimus. Indicem denique verborum & phraſium inſigniorum adjecimus, brevibuſque explicationibus idemtidem locupletavimus. Cetera quæ in hanc editionem contulimus, tute ipſe, ſtudioſe Lector, facile deprehendes. Fave interim conatibus noſtris, & propediem T. Lucretium Carum, eadem induſtria expolitum, a nobis exſpecta. Vale.

* *Veterum librorum vim*) Pretioſa iſtiuſmodi ſupellex, Alvarotto exſtincto, in bibliothecam Seminarii Patavini commigravit; ubi ſtudioſorum hominum commodis quotidie expoſita eſt.

PRAE-

PRAEFATIO IN VALERIUM FLACCUM.

ERUDITO LECTORI S.

HEROICI poematis apud Latinos Auctorem, si unum Virgilium excipias, doctorum quorumdam sententia reliquis in hoc genere præferendum, C. VALERIUM FLACCUM; ut primum hac in urbe typis excudi curaremus, & paucitas ipsa exemplarium, quæ vix occurrebant, & hujus nobilissimæ civitatis gloria nos impulerunt. Speravimus etenim quum ab omnibus poeticarum rerum studiosis, tum præcipue a Patavinis adolescentibus, eximium hunc poetam cupide exceptum iri; qui quidem Patavii, ut plerique tradidere, natus educatusque fuerit, &, quod ex ejus lectione manifestum esse potest, ingenio, gravitate, sapientia, Patavinam indolem quodammodo præ se ferre videatur. Porro a NICOLAI HEINSII recensione, quam PETRUS BURMANNUS V. C. secutus est, ne latum quidem unguem discessimus; incredibile enim est, quantam in Codicibus MSS. conferendis sollertiam, judicii subtilitatem, solidæ in primis ac minime vulgaris doctrinæ copiam, ad hunc

alios-

alioſque optimos poetas nitori ſuo ac genuinæ lectioni reſtituendos vir ille magnus attulerit; ut hoc nomine multum illi debeant, ac in poſterum debituræ ſint Latinæ litteræ. Utinam aliquando exoriatur qui hos ARGONAUTICON libros, ingentem profecto poeticæ eruditionis theſaurum, accurate explicandos ſuſcipiat (quod quidem a nonnullis, duobus ſuperioribus ſæculis, at irrito conatu, tentatum eſt) ut tandem obſcuritas illa tollatur, quam ignavi homines, & ab omni reconditarum litterarum ſubſidio imparati, ſe in hoc ſcriptore inveniſſe conqueſti ſunt. Fruere interea hoc munuſculo noſtro, Lector candide, & tute ipſe ad VALERIUM intelligendum eas tibi copias comparare ſtude, quibus inſtructus, æquo animo commentariorum adminiculis carere poſſis; & noſtræ honeſtiſſimæ de te benemerendi voluntati mutuam voluntatem retribue.

PRAE-

PRAEFATIO IN LIBROS SEVERINI BOETHII DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIAE.

Viro Doctiſsimo, Clariſsimoque

JACOBO GIACOMETTI

Philoſophiæ Moralis in Gymnaſio
Patavino Profeſſori eximio,

Jo. Antonius Vulpius S. P. D.

ETsi omnia quæ ad litterarum dignitatem amplificandam quocumque modo pertinent, maximæ mihi curæ ſemper fuerunt; nihil tamen umquam antiquius habui, JACOBE doctiſſime, quam ut tui ſimiles viros ea obſervantia colerem, ex qua facile intelligeretur, me de ipſorum laude vehementer eſſe ſollicitum. Qui enim ex animo litteras amant, (in quorum numero jam inde a pueritia nomen & ego meum profiteri cœpi) parum admodum referre arbitrantur, ſua potiſſimum, an etiam aliena opera earum ſtudia floreant, majuſque in dies incrementum accipiant. Ipſi quidem nervos omnes in ea re contendunt, ut ſtudioſis adoleſcentibus,

cete-

ceteriſque cupidis bonarum artium omni genere proſint lucubrationum; at iis nihilominus quos viderint idem ſaxum volvere, non modo non obtrectant (id quod levium & pravorum ingeniorum eſt), ſed contra favent, ac libentiſſime velificantur. Nam ut ab ignavia quamplurimum abeſſe volunt, ſic invidentiam declinare: quorum vitiorum altero effectum eſt, ut pauci omnino doctrina excellant; altero, ut ſi qui excellunt, iiſdem ſæpe probitas, verecundia, fides, ceteraque animi bona deſint, quæ ſunt dubio procul doctrina ipſa potiora. At quum plerique non ideo ſe doctoribus erudiendos tradant, quo meliores fiant, & rempublicam aliquando juvent, ſed potius ut litteris exculti, patrimonium augere, & prætereuntium digito monſtrari poſſint; iccirco ſtudiorum æmulos odiſſe conſueverunt, quos nimirum ſuis rationibus officere, atque in ſuæ gloriæ communionem venire, moleſte ferunt. Quum igitur doctorum virorum cauſſa omnia me & velle & debere ſemper oſtenderim, eoſque omni officio, ac potius pietate fuerim proſecutus; quid ego te non in primis diligerem atque ſuſpicerem, tanto ingenio, tanta eruditione, tanta melioris antiquitatis notitia virum, ut nihil propemodum in veterum ſcriptis deliteſcat, cujus tu momenta ſollertiſſime non perpenderis? cur unus

te

te ſegniter ac remiſſe obſervarem, quem ſapientiſſimi Chriſtianæ Reipublicæ Antiſtites dignum cognitione judicant; ad quem, tamquam ad florentiſſimæ hujus urbis præcipuum quoddam ornamentum, concurſus peregrinorum fieri ſoliti ſunt; quocum denique Italorum pauciſſimi, qui hodie vivant, Græcarum litterarum ſcientia contendere audeant? Incredibilem porro amori erga te meo cumulum accedere ſentiebam, quum hæc illuſtria, ac prope divina bona, quæ multis vigiliis, improbo labore, aſſidua exercitatione adeptus es, non apud te maligne contineri, ſed ad communem ſtudioſæ juventutis utilitatem humaniſſime conferri viderem: in quo quidem docendi munere, ut in re animo tuo gratiſſima, pecuniæ atque honorum cupiditate poſthabita, bonam ætatis partem maxima cum laude exegiſti. Nemo fere e noſtris adoleſcentibus invenitur, qui aliquid modo in dicendo poſſit, qui non te magiſtro multum profeciſſe fateatur: nemo fere in hac urbe, barbariem exuit, ac manſuetiores Muſas amplexus eſt, qui non te auctore, hortatore, adjutore id fecerit. Quod ſi tibi gratias pro meritis referre homines vellent, aut hoc tempora ipſa paterentur, jam in celeberrimo aliquo urbis loco, quemadmodum olim Delphi Gorgiæ illi Leontino, inſigne virtuti tuæ monumentum excitandum curarent.

Quid eſt enim ſanctius, quid auguſtius, quid omnium ſæculorum memoria dignius, quam civibus quibuſcum vixeris, profuiſſe? & profuiſſe quidem non aquis ducendis, aut porticibus exſtruendis, aut viis muniendis (quamquam ſunt hæc ipſa ad nominis diuturnitatem idonea) ſed animis potius humanitate leniendis, & ſapientiæ ſtudio imbuendis? Nihil tamen tibi ad ſummam gloriam deeſſe video; qui provideris magnitudine benefactorum, ne ulla umquam oblivione ex animis hominum excidere poſſis: intereunt enim ſtatuæ, ut ait * Cicero, tempeſtate, vi, vetuſtate; laudes autem virorum bene de republica meritorum, poſteritati quaſi per manus traditæ, vix conſeneſcunt. Fructum interea laboris tui uberrimum, & jucundiſſimum capis, quum te amari a bonis, atque in oculis nobilitatis eſſe intelligis; quum tibi omnia proſpera evenire optant quicumque ſolida certaque doctrina, moribus nullo eruditis artificio ſimulationis, ingenua denique oris animique libertate, quibus rebus excellis, mirifice delectantur. An quod ab Ampliſſimo Venetæ Reipublicæ Senatore, tuique amantiſſimo, MICHAELE MAUROCENO, quem honoris cauſſa nomino, ceteriſque Rei Litterariæ Triumviris, ad hoc publice docendi munus ultro vocatus fueris; idque

* *Philippica IX.*

que ſapientium virorum de te judicium Senatus univerſus, optimus ac liberaliſſimus virtutis æſtimator, graviſſimo decreto ſuo comprobaverit: quod hunc dignitatis gradum, quem plerique tanto ambitu petunt, ipſe a petendo alieniſſimus, ac pæne invitus obtinueris: id vero non fuit ad invidiam uſque perhonorificum? Quam quidem provinciam ſapienter tibi demandatam ita ſuſtines, ut juvenes diſcendi cupidi qui ad te audiendum frequentes conveniunt, philoſophiam quæ de moribus eſt, non ex turbidis barbarorum lacunis, ſed ex puriſſimis Ariſtotelis fontibus haurire poſſint, te videlicet fores & adyta graviſſimæ diſciplinæ aperiente, & abditiſſimos quoſque ſummi philoſophi ſenſus, pro tua Græcæ linguæ facultate, copioſe ac dilucide enucleante. Vides, niſi fallor, quæ me cauſſæ impulerint, ut, quamvis nullo familiaris conſuetudinis vinculo inter nos conjuncti ſimus (quod ego in meis adverſis numero) aliquod tamen obſervantiæ erga te meæ teſtimonium exſtare vellem. Illud etiam adderem, me tibi mutuam voluntatem ideo debere, quod, ſi quando a doctis viris qui domum tuam ventitant, de inſtituto hoc noſtro juvandi optimas litteras, in quotidianis ſermonibus mentio facta fuerit, conſilia abs te mea probari ſoleant, & contra calumnias improborum amiciſſimis

verbis propugnari: ſed vereor, ne forte homines putent, me tam multa de te prædicaſſe, non ut candide aperirem quod ſentio, ſed tantummodo ut ne officio deeſſe viderer. Quum igitur in ea cogitatione defixus eſſem, quo tandem pacto, me tui ſtudioſiſſimum eſſe, tibi non obſcure ſignificarem; commodum accidit, ut ANICII MANLII TORQUATI SEVERINI BOETHII, poſt M. Varronem Romanorum omnium longe doctiſſimi, ejuſdemque ſanctiſſimi viri, Libros vere aureos DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIAE, ex quibus animi magnitudo, rerumque humanarum deſpicientia adhuc ſpirat, domeſticis ſumtibus iterum edendos ſuſciperem. viſi ſunt mihi, ſi eos tibi inſcribere voluiſſem, propenſæ in te voluntatis meæ peridonei teſtes, ac tamquam prædes futuri. quam ſane occaſionem tam opportunam declarandi omnibus quanti te facerem, nullo modo amittendam eſſe duxi. Quamvis enim, vitio temporum quibus conſcripti ſunt, non eam Latini ſermonis elegantiam præ ſe ferant quam in ſcriptoribus ſuperioris ævi tantopere admiramur, & a Tulliano dicendi genere valde interdum abhorrere videantur; habent nihilominus quo tenere lectorem poſſint; abundant enim ſaluberrimis præceptis, quæ ſi quis non aſpernetur, in tantis vitæ tempeſtatibus curſum teneat,

& ad

& ad tutiſſimum felicitatis portum perveniat. ejuſmodi autem præcepta omni vel exquiſitiori Latinitate, recte quidem æſtimantibus, neque inepte moroſis, aliquanto cariora eſſe debent. Quorumdam porro levitas ferenda non eſt, qui quum ſiti ardentiſſima excrucientur, frigidam tamen, niſi in aureis poculis apponatur, abjicere ſolent; & ſententias pulcherrimas graviſſimaſque minime probant, quæ non illuſtrium ſelectorumque verborum lenocinio commendentur. His videas inani quadam eloquentiæ ſpecie corruptis, placere ſæpius futiles nonnullos oratores ſcriptoreſque, in quos Theocriti Chii de Anaximene oratore dictum (a) illud pulchre convenit: ἄρχεται λέξεων μὲν ποταμὸς, νᾶ δὲ ϛαλαγμός. Hos tamen libellos ab ornamentis orationis non adeo inopes eſſe dixeris, ut ſcriptoris infantiam arguant; ſunt enim & politi, & candidi, & in materiæ difficultate mire perſpicui: quæ vero BOETHIUS noſter verſibus luſit, ea certe (quod olim (b) Julii Scaligeri judicium fuit) meliorum quoque poetarum lucubrationibus comparari merentur. Ad calcem hujus præclariſſimi operis Cajetanus frater meus, quem in hac difficili provincia accurate edendi bonos auctores magnum adjutorem

(a) *Incipit verborum quidem flumen, ſed mentis gutta*. Apud Stobæum.
(b) *Poetices lib. VI. cap. V.*

rem habeo, ELPIDIS matronæ lectiſſimæ, primæ BOETHII uxoris, ut a pleriſque traditum eſt, Hymnos duos in Petrum & Paullum, principes Apoſtolorum, adjungere voluit: qui quum & ipſe doctrinæ atque humanitati tuæ plurimum tribuat, me præ verecundia cum hoc munuſculo ad te accedere dubitantem hortatu ſuo confirmavit. Accipe igitur, Vir doctiſſime, benignitate qua ſoles, hoc quod tibi a me peramanter offertur, & ita meis rebus favere perge, ut tuo teſtimonio fretus, & in benevolentia conquieſcens tua, nullis puſillorum hominum aut malevolorum conatibus, de ſtatu tranquillitatis & conſtantiæ umquam dimoveri poſſim. Vale. Kal. Junii. Anno a Partu Virginis MDCCXXI. Patavii.

FINIS.

ERU-

ERUDITORUM
QUORUMDAM VIRORUM
quibuſcum JOANNI ANTONIO VULPIO
amicitia intercedit,

NEMPE

JOANNIS CHECOTII VICETINI,
FRANCISCI ZANOTTI BONONIENSIS,
MATTHAEI BURDEGATI PATAVINI,
DOMINICI LAZARINI DE MURRO MACERATENSIS,

POEMATA NONNULLA.

ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΥ ΚΥΡΗΝΑΙΟΥ

ΕΙΣ ΛΟΥΤΡΑ ΤΗΣ ΠΑΛΛΑΔΟΣ

ΥΜΝΟΣ.

ΟΣΣΑΙ λωτροχόοι τᾶς Παλλάδος, ἔξιτε πᾶσαι,
Ἔξιτε. τᾶν ἵππων ἄρτι φρυαγμὸν ἔχω
Τᾷ ἱερᾷ ἐσάκουσα, κἀ ἀ θεὸς ἄυτυκος ἔρπει·
Σεῦθέ νυν, ὦ ξανθαί, σεῦθε Πελασγιάδες.
Οὔ ποκ' Ἀθαναία μεγάλως ἀπενίψατο πάχεις,
Πρὶν κόνιν ἱππείαν ἐξελάσαι λαγόνων·
Οὐδ' ὅκα δὴ λύθρῳ πεπαλαγμένα πᾶτα φέροισα
Τεύχεα τᾶς ἀδίκαν ἐκ γενεᾶν.
Ἀλλὰ πολὺ ῥᾴτισον ὑφ' ἅρμασιν αὐχένας ἵππων
Λυσαμένα, παγᾶς ἔκλυσεν Ὠκεανός
Ἰδρῶ κἀθάμιγγας· ἐφοίβασεν δὲ παγᾶντα
Πάντα χαλινοφάγων ἀφρὸν ἀπὸ στομάτων.
Ὦ ἴτ' Ἀχαιϊάδες· κἀ μὴ μύρα, μηδ' ἀλαβάστρως,
(Συρίγγων ἄτερ φθόγγον ὐπαξονίων)
Μὴ μύρα λωτροχόοι τᾷ Παλλάδι, μηδ' ἀλαβάστρως
(Οὐ γὰρ Ἀθαναία χρίματα μικτὰ φιλεῖ)
Οἷσεπ· μηδὲ κάτοπτρον. ἀεὶ καλὸν ὄμμα τὸ τίλως.
Οὐδ' ὅκα τὰν Ἰδαν Φρύξ ἐδίκαζεν ἔλαν,

Οὐδ'

JOANNIS CHECOTII VICETINI METAPHRASIS ELEGIAE SIVE HYMNI CALLIMACHI CYRENAEI IN LAVACRA PALLADIS.

ITE agedum, magnæ lotrices Palladis, ite;
Sacrorum fremitum namque ego quadrupedum
Audivi: nec abeſt longe dea. quare agite, eja
Ite ſimul, flavæ, ite, Pelaſgiades.
Fortia non Pallas perfundet membra prius, quam
Cœno ſordentes terſerit alipedes.
Tum quoque quum bello decedens retulit arma
Turpia dirorum ſanguine terrigenum,
Fumantes primum ſolvit temone jugales;
Abluit & magni fontibus Oceani
Pulvereum ſudorem. at ſpumas diva lupatis
Expreſſas nivea deruit inde manu.
Pergite, Achaïades; non myrrham, non alabaſtrum;
(Audin' vocales ut cecinere rotæ?)
Palladi non myrrham, lotrices, non alabaſtrum,
(Illa fugit mixtis diffluere unguinibus)
Neu ſpeculum ferte. æternum decus adſidet olli.
Judicium Idæi vel ſubitura Phrygis

Οὐδ' ἐς ὀρειχάλκου μεγάλα θεὸς, οὐδὲ Σιμοῦντος
Ἔβλεψεν δίνᾳ ἐς ἀμφαινομβρίᾳ·
Οὐδ' Ἡρη· Κύπρις δὲ διωγέα χαλκὸν ἑλοῖσα,
Πολλάκι τὰν αὐτᾷ δίς μεπέθηκε κόμᾳ·
Α δὲ, δὶς ἑξήκοντα διαῤῥέξασα διαύλως,
Οἷα παρ' Εὐρώτα τοὶ Λακεδαιμόνιοι
Ἀστέρες, ἐμπεράμως ἐτελίψατο λιτὰ λαβοῖσα
Χείματα, τᾶς ἰδίας ἔκγονα φυτκλιᾶς.
Ω κᾶραι, τό δ' ἔρευθος ἀνέδραμε πρωΐον, οἷᾳ
Ἡ ῥόδον ἢ σίβδης κόκκος ἔχει χροΐᾳ.
Τῷ κ' νιῦ ἄρσέν τε κομίσατε μῆνον ἔλαιον,
Ω Κάστωρ, ᾧ κ' χρίεται Ἡρακλέης.
Οἵσετε κ' κτένα οἱ παγχρύσεον, ὡς ἀπὸ χαίτᾳ
Πέξηται, λιπαρὸν σμασαμβύα πλόκαμον.
Ἐξιθ' Ἀθαναία· πόθι τοι κατακύμιος ἵλα,
Παρθενικᾶ μεγάλων παῖδες Ἀκεσοριδᾶ;
Ω Ἀθάνα, φέρεται γ' κ' ἀ Διομήδεος ἀστίς,
Ὡς ἔθος Ἀργείων τῦτο παλαιότερον
Εὐμήδης ἐδίδαξε, πεὶν κεχαλεσμβύος ἱερύς·
Ος ποτε βελευτὸν γνὺς ἐπί οἱ θάνατον
Δᾶμον ἐτομβίζοντα, φυγᾷ πεὸν ἱρὸν ἄγαλμα
Ὠιχετ' ἔχων, Κρεῖον δ' εἰς ὄρος ὠκίσατο,
Κρεῖον ὄρος· σὲ δὲ, δᾶμον, ἀπορρώγεσιν ἔθηκεν
Εν πέτραις, αἷς νιῦ ὄνομα Παλλατίδες.
Ἐξιθ' Ἀθαναία πορσέπτολι, χρυσεοπήληξ,
Ἵππων κ' σακέων ἀδομβύα πατάγω·
Σάμερον ὑδροφόροι μὴ βάπτετε· σάμερον Ἀργος
Πίνετ' ἀπὸ κρηνᾶν, μηδ' ἀπὸ τᾶς ποταμῶν.

Σά-

Sprevit orichalci arbitrio dea magna nitere,
Et Simoenteis fidere imaginibus.
Sprevit quin etiam Juno. Venus attamen ære
Usa, comas iterum contulit, atque iterum.
Hæc celeri lata arva fuga mensa, atque remensa,
Eurotæ ripas ut Lacedæmonia
Astra solent, facili duravit corpus olivo,
Illi de propria quod satione redit.
Emicuit regina, puellæ; punica quali
Grana rubent, quali prima colore rosa.
Quare olei vim ferte modo, quo Castora scimus
Ungi, quo magnum Amphitryoniada.
Adsit & ex auro pecten, quo fingere crinem
Gaudeat, & nitidam pectere cæsariem.
Egredere, o Pallas: tibi præsto est grata caterva
Virgineus veterum sanguis Acestoridum.
O Pallas, tibi procedit scutum Diomedis,
Ritus ut Argivis traditus exstat avis.
Eumedes tuus edocuit, tuus ille sacerdos;
Qui, sibi compositam quum ferere usque necem
Audisset populum, sanctum amplexus simulacrum,
Abripuit montes protinus in Creïos,
In Creïos. tum præruptis te, diva, sacravit
Rupibus, hinc dictis nomine Pallatisin.
Egredere, o terror belli, auricassis Itoni, (vant.
Quam clypeum impulsus, quadrupedumque ju-
Parcite vos hodie fluviis haurire, ministræ,
Parcite; fontanas nam bibet Argos aquas.

Σήμερον αἱ δῶλαι τὰς κάλπιδας ἢ ἐς Φυσάδειαν,
Η ἐς Αμυμώνιν οἵσετε τὰν Δηναῶ.
Καὶ γὰ δὴ χρυσᾶ τε κὴ ἀργυρέα ὕδατα μίξας
Ηξει φορβαίων Ιναχὼ ἐξ ὀρέων,
Τᾷ Θαύᾳ τὸ λοετρὸν ἄγων καλόν. ἀλλὰ, Πελασγέ,
Φράζεο μὴ ἄκ ἐθέλων ταὺ βασίλειαν ἴδῃς.
Ος κεν ἴδῃ γυμνὰν τὰν Παλλάδα τὰν πολιοῦχον,
Τᾶργῳ ἐσοψεῖται τῆτο πανυσάτιον,
Πότνι' Αθαναία, σὺ μὰν ἔξιθι· μέσφα δ' ἐγώ τι
Ταῖς δ' ἐρέω. μῦθῳ δ' ἄκ ἐμὸς, ἀλλ' ἑτέρων.
Παῖδες, Αθαναία νύμφαν μίαν ἐν τοκα Θήβαις
Πελύ τι κὴ πέρι δὴ φίλατο τᾶν ἑτέραν,
Ματέρα Τειρεσίαο, κὴ ἔποκα χωλὶς ἔγεντο·
Αλλὰ κὴ ἀρχαίων εὖτ' ἐπὶ Θεσπιέων,
Η' πὶ Κορωνείας, ἢ εἰς Αλίαρτον ἐλαύνοι
Ιππως, Βοιωτᾶν ἔργα διερχομέα,
Η' πὶ Κορωνείας, ἵνά οἱ πεθυαμβέον ἄλσῳ,
Καὶ βωμοὶ ποταμῷ κεῖντ' ἐπὶ Κυραλίῳ·
Πολλάκις ἀ δαίμων μιν ἐῷ επέβασατο δίφρῳ.
Οὐδ' ὄκροι νυμφᾶν ἄδε χορησασίαν
Αδεῖαν πελέθεσκον, ὅτ' ἐχ ἁγεῖτο Χαελκλώ.
Αλλ' ἔτι κὴ τλῶν δάκρυα πόλλ' ἔμβε,
Κήπερ Αθαναία κατηθύμιον εὖσαν ἑταίραν.
Δή ποτε γὰ πέπλων λυσαμέα περόνης,
Ιππω ἐπὶ κράνᾳ Ελικωνίδι καλὰ ῥοίσα
Λῶντο· μεσαμβρινὰ δ' εἶχ' ὥρη ἀσυχία.
Αμφόπερα λώοντο, μεσαμβρινὰ δ' ἔσαν ὧραι·
Πολλὰ δ' ἀσυχία τλῶα κατεῖχεν ὄρη.

Τει-

Et vos, o famulæ, ſitulas hodie ad Phyſadeam,
Aut ad Amymonem ferte Danaïadem.
Jam jam frondoſis de montibus Inachus auro
Auro, atque omnigeno flore lavacra deæ
Mixta feret. tu reginam ne forte, Pelaſge,
Dum lavat illa, volens intueare cave.
Continuo, dominam quicumque aſpexerit, Argos
Cernere fruſtra ægro lumine diſcupiet.
Pallas age, egredere. Interea narrabo puellis
Non mea, ſed quæ mi fama reportat anus.
Inter Thebanas pulcherrima Nympha, puellæ,
Deliciæ quondam Palladis una fuit
Mater Tireſiæ. non hac ſine Pallada vidit
Ulla dies, veteres ſive ea Theſpiadas,
Sive Coroneam peteret, properanſve Aliartum
Bœotum vegetis arva ſecaret equis;
Sive Coroneam, illi umbras qua denſat olentes
Silva, & Curaliis imminet ara vadis.
Sæpe illam curru ſecum dea vexit eodem.
Nec temere cœtus, vel chorus ullus erat
Nympharum, cui non eſſet dux alma Chariclo.
Hanc tamen, o divi, plaga manebat atrox.
Nec quidquam miſeram Pallas tum juvit amica.
Quondam etenim teretes diſſolüere peplos
Gramina ubi placidis Heliconia frigerat Hippocrene undis, mediam ſole coquente diem;
Membraque demittunt fonti, dum triſtibus horis
Aura levis vacuo luderet in nemore.

For-

Τειρεσίας δ' ἔτι μᾶν᾽ ἄμμι κυσὶν, ἄρτι γλύεια
Περκάζων, ἱερὸν χῶρον ἀνεμρέφετο.
Δίψάσας δ' ἄφατόν τι, ποτὶ ῥόον ἤλυθε κράνας
Σχέτλι᾽· ἐκ ἐθέλων δ' εἶδε τὰ μὴ θέμιδες.
Τὸν δὲ χολωσαμένα περ, ὅμως προσέφασεν Ἀθάνα,
Τίς σε, τὸν ὀφθαλμὼς ἐκ ἔτ' ἀπισόμενον,
Ω Εὐηρείδα, χαλεπὶω ὁδὸν ἄγαγε δαίμων;
Ἀ μᾶ ἔφα, παιδὸς δ' ὄμματα νὺξ ἔβαλεν.
Εσάθη δ' ἄφθογγ᾽· σκόλλασεν γὰ ἀνίαι
Γώνατα, χ᾽ φωνὰν ἔσχεν ἀμηχανία.
Ἀ νύμφα δ' ἐβόησε, Τί μοι τὸν κῶρον ἔρεξας
Πότνια; τοιῶ δαίμονες ἐσὲ φίλαι;
Ομμασί μοι τᾶ παιδὸς ἀφείλεο. τέκνον ἄλασε
Εἶδες Ἀθαναίας σήθεα χ᾽ λαγόνας·
Αλλ' ἐκ ἀέλιον πάλιν ὄψεαι· ὦ ἐμὲ δειλάν.
Ω ὄρ᾽, ὦ Ελικὼν ἐκ ἔτι μοι παρμί.
Η μεγάλ' ἀντ' ὀλίγων ἐωράξαο· δόρκας ὅλεσσας,
Καὶ ῥόκας ἐ πολλάς· φάεα παιδὸς ἔχεις.
Ἀ μᾶ ἐπ' ἀμφοτέραισι φίλον θεὶ παῖδα λαβοῖσα
Μάτηρ μᾶ γοερῶν οἴτον ἀηδονίδων
Αγε βαρὺ κλαίυσα. θεὰ δ' ἐλέησεν ἑταίρᾳ,
Καὶ μιν Αθαναία ῥὸς τόδ' ἔλεξεν ἔπ᾽,
Δῖα γυῖαι, μᾶ πάντα βαλεῖ πάλιν ὅσσα δι' ὀργὰν
Εἶπας· ἐγὼ δ' ὅτοι τέκνον ἔθηκ' ἀλκάν.
Οὐ γὰ Ἀθαναίᾳ γλυκερὸν πέλει ὄμματα παίδων
Αρπάζειν· Κρόνιοι δ' ὧδε λέγοντι νόμοι.
Ος κέ τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕλῃ,
Αθρήσῃ, μοθῶ τᾶτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

Δῖα

Forte ibi Tireſias primævo flore juventæ
Ducebat feſſas per loca ſacra canes.
Exuſtuſque ſiti, greſſum dum fontis ad undas
Fert miſer, invitus, quæ vetitum, ille videt.
Diva, licet ſævo perculſa dolore, locuta eſt:
Quis te huc poſtremum lucida tela die
Viſurum, o Everida, deus ire paravit?
Dixit; at in verbo nox rapit atra oculos
Tireſiæ. tum genua fluunt, vox faucibus hæret:
Arrectæ gelido horrore comæ ſteterunt.
Ingemit at mater: Natum mihi cur, dea, perdis?
Hæccine ſunt divis jura ſodalitii?
Luminibus filî plectis matrem? hei mihi, nate:
Vidiſti, infelix, pectora Palladia.
Non tamen & dulcem ſpectabis, perdite, lucem.
Jam vale mi æternum, o nemus, o Helicon.
Mercaris magna exiguis. an, lumina ferres
Ut nati, cervas, capreoloſque dabas?
Sic miſera ambobus puerum complexa lacertis,
Qualis ubi triſtes dat philomela modos,
Flebat. nec Pallas mærentem paſſa ſodalem,
Aggreſſa eſt dulci farier alloquio.
Parce, ait, o Nympha, irarum: nimio acta dolore es.
Non ego ſum puero, non ego, cauſſa mali.
Nec puerorum oculos Pallas venatur. at hocce
Saturni æterno lex jubet imperio.
Qui divum aſpiciet quemquam, niſi ipſe videndum
Obtulerit, multis cernito cum lacrimis.

Nym-

Δῖα γυνή, τὸ μὲν ἀ παλινάγρετον οὐθι γένοιτο
Ἔργον· ἐπεὶ μοιρᾶν ὧδ' ἐπένασε λίνα,
Ἀνίκα τοπρῶτόν νιν ἐγείνατο· νυῦν δὲ κομίζω,
Ω Εὐηρείδα, πέλθων ὀφειλόμενον.
Πόσσα μὲν ἀ Καδμηὶς ἐσύστερον ἔμπυρα κώσει,
Πόσσα δ' Ἀεσσαῖων, τὸν μόνον ἀγχόμενοι
Παῖδα τὸν ἀβατὰν Ακταίονα τυφλὸν ἰδέσθαι,
Καὶ τλῶν μεγάλας σωὐδρομὸν Ἀρτέμιδος
Εσσε)· ἀλλ' ἁ μὲν αὐτὸν ὅ, τε δρόμος αἴ τ' ὀν ὄρεσσι
Ρυσεῦνται ξωαὶ τᾶμος ἑκαβολίαι.
Οππότ' ἐν ἐθέλων περ ἴδῃ χαρίεντα λόετρα
Δαίμονος· ἀλλ' αὐταὶ τὸν περὶν ὠμᾶκτα κυῖες
Τυτάκι δειπνησεῦντι. τὰ δ' ἐμέος ὀσέα μάτηρ
Δεξεῖται, δρυμῶς πάντας ἐπερχομένα·
Ολβίσδε ἐρέει σὲ καὶ ἀναῶνα γνέσθαι,
Ἐξ ὀρέων ἀλαὸν παῖδ' ὑποδεξαμένα.
Ω ἑτάρα, τῷ μή τι μινύρεο, τῷδε γὰ ἄλλα
Τεῦ χάριν ἐξ ἐμέθεν πολλὰ μνησεῦται γέρα·
Μάρτιν ἐπεὶν φήσω νιν ἀοίδιμον ἐσομένοισιν,
Η μέγα τῆ ἄλλων δή τι θεσπεσιώτερον.
Γνωσεῖ) δ' ὄρνιθας, ὅς αἴσιος, οἵ τε πέτονται
Ηλιτα, κὴ ποίων ἐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες.
Πολλὰ δὲ Βοιωτοῖσι θεοπρόπα, πολλὰ δ' Κάδμῳ
Χρησεῖ, κὴ μεγάλοις ὕστερα Λαβδακίδαις.
Δωσῶ κὴ μέγα θάκτρον, ὅ οἱ πόδας ἐς δέον ἀξεῖ,
Δωσῶ κὴ βιότᾳ τέρμα πολυχρόνιον.
Καὶ μόνος, εὖτε θάλψῃ, πεπνυμένος ἐν νεκύεσσι
Φοιτασεῖ, μεγάλῳ τίμιος ἀγεσίλᾳ.

Ως

Nympha, hoc infectum reddi haud pote, quod tibi
Non exorata constituere colu (Parcæ
Pondera solventi partus. Nunc accipe dignum,
O Everida, promeritis pretium.
Ah quot fumabunt votis Cadmeidos aræ!
Ah quot Aristæus congeret! unigenam
Optantes puerum servare Actæona cæcum,
Dianæ ingentis sit licet ille comes.
Proderit at nihil in silvis communiter altis
Et cursu, & jaculis exagitasse feras.
Ille, vel invitus divæ quandoque lavacra
Spectarit, propriis prandium erit canibus,
Olim qui ductor. tum saltus mæsta pererrans,
In teneros mater colliget ossa sinus.
Et dicet: Felix, puerum quæ lumine cassum
Accepsti e duris montibus in gremium.
Ne, comes, hunc ne defle, instant cui nempe tot a me
Munera, pro meritis, officiisque tuis.
Nam vatem faciam, cui non conferrier ullus
Ausit: quem stupeat sedula posteritas.
Felicesque sciet pennas, tristesque volatus,
Quæque secet liquidas nil metuenda vias.
Plurima quin promet Bœotis, plurima Cadmo
Responsa, & magnis postea Labdacidis.
Et lituo gressum firmare dabo, & dabo cursus
Vivendo plures vincere signiferi.
Mortuus ast inter prudens versabitur umbras,
Solus vel domino maximus Agesilæ.

Ὡς φαμὶ κατένασε· τὸ δ' ἐντελὲς ὤχ' ἐπινάσῃ
Παλλάς. ἐπεὶ μούνα Ζεὺς τόγε θυγατέρων
Δῶκεν Ἀθαναίᾳ πατρώϊα πάντα φέρεσθαι·
Λωβοχόοι, μήτηρ δ' ὅτις ἔτικτε θεάν·
Ἀλλὰ Διὸς κορυφά, κορυφὰ Διὸς ὤχ' ἐπινάσῃ,
Ἐμπέδον· ὡσαύτως ὤ κέν οἱ ἁ θυγάτηρ.
Ἔρχετ' Ἀθαναία νῦν ἀτρεκές· ἀλλὰ δέχεσθε
Τὰν θεὸν, ὦ κῶραι τῶργος ὅσσις μέλεται,
Σιὼ τ' ἀγορεία, σιὼ τ' ἄγμασι, σιὼ τ' ὀλολυγαῖς,
Χαῖρε θεά, κάδευ δ' Ἀργεος Ἰναχίᾳ.
Χαῖρε ϗ ἐξελάοισα, ϗ ἐς πόλιν ὥττις ἐλάσσαις
Ἵππους, ϗ Δραπῶν κλᾶρον ἅπαντα σάω.

Hæc ubi: prosequitur nutu verba omnipotenti.
Uni e divinis Palladi virginibus
Namque pater tribuit se se omni ex parte referre.
Mater, Iotrices, Pallada non genuit;
At Jovis enixum caput. ilicet evenere
Quæ pater, evenit nata quod adnuerit.
Pallas adest manifesta. deam curate, puellæ,
Quas bonus antiquæ tangit amor patriæ.
Et bona verba precesque sonent, strepitusq; vocãtum.
O salve, & felix Inachium Argos ades.
Salve; & ne Danaos pigeat servare: nec Argos,
Quum semel exieris, flectere rursus equos.

ANGELI POLITIANI

Metaphraſis præcedentis Elegiæ CALLIMACHI CYRENAEI IN LAVACRA PALLADIS.

ITE foras agedum, quæcumque liquentibus undis
Membra lavaturæ Pallados, ite foras.
Ipſa venit; fremitus ſacrorum audimus equorum.
Ite agedum, flavæ, o ite, Pelaſgiades.
Non prius ingentes lavit ſibi diva lacertos,
Ilia quam abſterſit pulvere cornipedum.
Nec tum quando armis multa jam cæde cruentis
Venit ab injuſtis horrida terrigenis:
Tum quoque equum ſubducta jugis fumantia colla
Perfudit largi fontibus Oceani,
Dum ſudor, guttæque putres, dumque omnis abiret
Spuma oris circum manſa lupata rigens.
Ite, o Achivæ, ſed non unguenta, aut alabaſtros,
(Audio certe ipſum ſtridulum ab axe ſonum)
Palladi, lotrices, non unguenta, aut alabaſtros,
(Nulla etenim divæ huic unguina mixta placent)
Ferte nec huic ſpeculum; vultu eſt pulcherrima ſemper.
Nam nec in Ida olim judice ſub Phrygio,
Se vel orichalco magna hæc dea, vel Simoentis
Spectavit, quamquam vortice perſpicuo.
Nec Juno; ſed ſola Venus ſe ſplendido in ære
Vidit, eamdem iterum diſpoſuitque comam.
Bis ſexaginta ſpatiis verum incita curſu,
Stellæ apud Eurotam ceu Lacedæmoniæ,
Perfricuit tantum pingui ſe diva liquore,
De baccis arbor quem ſua protulerat.
O pueræ, emicuit rubor illico, matutina
Quem roſa, quem grano punica mala ferunt.
Ergo marem nunc tantum olei quoque ferte liquorem,
Quo ſe ungit Cæſtor, quo Amphitryoniades.
Ferte etiam ſolido ex auro, quo pectine crines
Explicet, & pinguem cæſariem dirimat.

Exi

Exi age jam, o Pallas: præſto tibi virgineus grex
Natæ magnorum carus Aceſloridum.
O Pallas, quin jam clypeus Diomedis & ipſe
Fertur, ut Argivûm mos vetus obtinuit.
Eumedes docuit, meditans tibi grata ſacerdos,
Quum in ſe compoſito cerneret interitu
Ire malam ſortem; fugit quippe ille, tuamque
Ad montem Crion ſuſtulit effigiem.
Ad montem Crion. tum abruptis impoſuit te
Cautibus: haſque vocant nunc quoque Pallatidas.
Exi age, quæ expugnas urbes, cuique aurea cordi
Caſſis, equûmque fremor, cum ſonitu clypeûm.
Vos hodie, undiferæ, ne tinguite, vos hodie Argos
Fontibus ex ipſis, non fluviis bibite.
Vos hodie, ancillæ, ferte urnas ad Phyſadeam,
Aut ad Amymonem progeniem Danai.
Namque auro, & multis permixtus floribus undas
Defluet e lætis Inachus ipſe jugis,
Et purum feret huic laticem. cave tu ergo Pelaſge,
Ne nudam imprudens aſpicias dominam.
Aſpiciet nudam qui Pallada, quæ tenet urbem,
Ultra jam hoc Argos cernere non poterit.
Jam veneranda exi Pallas, dum quiddam ego iſtis
Dicam: nec meus hic ſermo, ſed alterius.
Unam olim, o pueræ, Thebis dea Pallas amabat
Nympham, præ cunctis quas habuit comites,
Matrem Tireſiæ, numquamque fuere ſeorſum:
Sed ſive ad veterum mœnia Theſpiadum,
Sive Coroneas, ſeu tenderet illa Haliarton
Bœotum viſens vecta jugis populos,
Sive Coroneas, ubi pulcher odoribus halat
Lucus, ubi ara ipſi Curalium ad fluvium;
Sæpe illam curru ſecum dea vexit eodem:
Nullaque Nympharum colloquia, aut thiaſi
Grata fuere ſatis, niſi præforet ipſa Chariclo.
Verum & ei multæ debitæ erant lacrimæ,
Quamvis cara comes magnæ foret uſque Minervæ.
Nam ſe olim peplis utraque depoſitis
Dum lavat in lymphis Heliconidos Hippocrenes,
Utque die vacuus mons tacet in medio;
Dum lavat ergo utraque, & mediæ ſunt tempora lucis,
Dumque eſt in toto plurima monte quies;

Tire-

Tireſias unus canibus comitantibus ibat
Per loca ſacra, levi flore genas nitidus,
Immenſamque ſitim cupiens relevare, petito
Fonte, videt quæ non cernere fas homini.
Hic, irata licet, ſic illum adfata Minerva eſt:
Quis te non ullis jam rediturum oculis,
O Everida, malus hæc deus in loca duxit?
Sic ait: at pueri lumina nox pepulit.
Adſtitit, obticuit; dolor illi, ut glutine, vinxit
Genua; ſonum tenuit vocis inops animus.
At Nympha exclamans, Quid nato, ait, o dea, factum eſt?
Numquid veſtra, deæ, talis amicitia?
Lumina mi pueri rapuiſti. pectora, nate,
Vidiſti, infelix, Pallados, iliaque.
At non & ſolem cernes iterum. heu miſera! o mons,
O Helicon rurſum non peragrande mihi!
Magna nimis parvis mutas, quæ lumina nati
Pro cervis paucis, dorcadibuſque habeas.
Sic puerum ambobus carum complexa lacertis
Mater flebilium carmen aedonidon
Triſte gemens iterat. ſed enim miſerata Minerva
Tunc ſociam verbis talibus alloquitur:
Dia, inquit, mulier, verte hæc, quæ protulit ira;
Non per me captus luminibus puer eſt.
Nam pueris auferre oculos haud dulce Minervæ,
Verum Saturni legibus hæc rata ſunt,
Ut quicumque deum aſpiciat, niſi juſſerit ipſe,
Mercede ingenti ſcilicet aſpiciat.
Dia, igitur, mulier, fieri hæc infecta nequit res,
Quippe ita Parcarum fila voluta manu,
Editus ut primum puer eſt. Sed tu accipe contra,
O Everida, quod maneat, pretium.
Munera Cadmeis proh quanta adolebit in ignes,
Quanta & Ariſtæus, votaque ſuſcipient,
Natus ut impubes Actæon, unicus illis,
Tantum oculis careat! namque erit & Triviæ
Concurſor: ſed non curſus, non æmulus illum
Tela arcus jaciens montibus, eripiet,
Quum divam, licet invitus, ſe fonte lavantem
Viderit: at fiet, qui modo erat dominus,
Eſca ſuis canibus. ſed enim nemora omnia luſtrans
Dum genitrix nati colliget oſſa ſui,

Tunc

Tunc te felicem, tunc dixerit eſſe beatam,
Cui mons vel cæcum reddiderit puerum.
Parce queri, mea grata comes; nam plurima contra
Huic ego, te propter, præmia contribuam.
Eſſe dabo egregium vatem, quem protinus omnis
Perpetuo celebret nomine poſteritas.
Cognoſcet, volucrum quæ proſpera, quæque volatu
Irrita, cujus item triſte ſit augurium.
Plurima Bœotiis oracula, plurima Cadmo
Hic canet, & magnis plurima Labdacidis.
Huic ingens baculum dabo, quod veſtigia ducat
Qua velit: huic vitæ tempora longa dabo.
Mox & honoratus Diti colet infera regna,
Inter & exſtinctos unicus hic ſapiet.
Adnuit his Pallas dictis; quodque adnuit illa,
Perficitur. ſoli Juppiter hoc tribuit
Natarum e turba, quæ ſint patris omnia ferre.
Lotrices, mater nulla deam peperit,
Immo Jovis vertex. vertex Jovis omnia nutu
Perficit, & natæ prorſus idem licitum eſt.
En vere nunc Pallas adeſt. Ejaergo, puellæ,
Queis Argos curæ eſt, ite, deam accipite.
Cumque bonis verbis, & cum prece, cumque ululatu,
Salve, o diva, urbem protege & Inachiam:
Salve hinc abſcedens, iterumque huc flecte jugales,
Ac rebus Danaûm ſis, precor, auxilio.

AU-

AUCTORIS CUJUSDAM

Alia Metaphrasis præcedentis Elegiæ

CALLIMACHI CYRENAEI

IN LAVACRA PALLADIS.

ITE, o lotrices divinæ Pallados, ite
Omnes; nam sacri præteraguntur equi.
Audivi fremitum, Pallasque huc proripit ipsa.
Ite, coma insignes, ite, Pelasgiades.
Diva suas numquam Pallas prius abluit ulnas,
Pulvere quam rapidi membra levasset equi.
Nec quum, terrigenis cælesti limine pulsis,
Tela giganteo tincta cruore tulit.
Nam prior hæc illi tunc cura, ut libera curru
Aeripedum liquidis colla lavaret aquis.
Cura prior tepidas sudoris demere guttas,
Et quæ frenatos spuma gravabat equos.
Ite foras, pigmenta nec ulla, nec ulla alabastra,
(Audio stridentes axibus ire rotas)
Nulla unguenta deæ, lotrices, nulla alabastra,
(Non amat his Pallas culta nitere bonis)
Nec speculum ferte huc: semper formosa Minervæ
Est facies. nec quum sub Phryge rixa fuit,
Se se in orichalco dea, nec Simoentis in unda
Contemplata olim limpidiore fuit:
Nec Juno: sed sola Venus speculo usa fuisse
Fertur, & ornatam bis posuisse comam.
Pallas ubi emensa est bis sexaginta diaulos;
Qualis ad Eurotæ cum pare Castor aquas;
Tum demum sua perfricuit medicamine vili
Membra, quod huic sacræ frondis oliva dabat.
O nuptæ, hic subito micuit rubor, ignea qualem
Seu rosa, seu grano punica mala ferunt.
Ferte maris tantum præpingue liquamen olivi,
Quo caput Alcidæ, Tyndaridæque madet.
Ferte etiam aurati dentes huc pectinis, illo
Ponat ut abstersas in flatione comas.

Egre-

Egredere, o Pallas: adſunt tibi grata puellæ
Concio, magnorum filiæ Aceſloridum.
O dea, quin etiam ſcutum Diomedis ad undas
Exit, ut Eumeden inſtituiſſe ferunt:
Eumeden, gratus qui quum tua templa ſacerdos
Servaret, populi vim tulit Argolici:
Compertis poſt inſidiis fugitque, tuoque
Cum ſigno Creji ſub juga montis iit:
Sub Creji montis: teque altæ in rupe locavit.
Pallatides rupes incola turba vocat.
Egredere, o Pallas, bello metuendæ, trucique
Caſſide: quam fremitus, ſcutaque denſa juvant.
Vos vero, undiferæ, ne tingite membra; nec, Argos,
Tu fluvios hodie, ſed bibe fontis aquam.
Hac ad Amymonem ferte urnas luce, puellæ,
Aut qua fontanis it Phyſadea viis.
Namque auro mixtas, & floribus Inachus undas
Herbiferis orto provehit amne jugis:
Pulchraque divæ ornat pro more lavacra: Pelaſge
Sed tu ne videas Pallada forte cave.
Viderit hanc ſi quis nudam, & ſine veſte lavantem,
Extremum Argolicos viderit ille focos.
Egredere, o Pallas. loquar hic ego pauca puellis,
Haud ficta, at longo tempore nacta fidem.
Nympha fuit Thebis, quam prætulit omnibus unam
Quas coluit ſocio Pallas amore deas:
Tireſiæ mater. numquamque fuere ſeorſim,
Seu dea Theſpiacos ingrederetur agros,
Sive Coroneam, ſeu colla Haliarton equorum
Flecteret, Aoniam quum peragraret humum.
Sive Coroneam, qua lucus odoribus halat,
Curaliumque ſacros alluit amne focos.
Sæpe illam curru ſecum dea vexit eodem.
Grataque Nympharum fabula nulla fuit,
Nulla chorea, cui non præforet iſta Chariclo:
Sed tamen hanc lacrimæ, duraque fata manent,
Quamlibet una foret nimium dilecta Minervæ.
Nam poſtis quondam monte Helicone ſtolis,
Utraque tingebat liquidis Aganippidos undis
Corpora, per medium colle ſilente diem.
Utraque tingebat, medioque altiſſimus orbe
Sol erat, & toto plurima monte quies.

Forte huc Tireſias, primæ lanuginis heros,
Advenit, & catulos per nemus illud agit:
Urgentique ſiti, fontis deſcendit ad undam,
Quodque nefas illo eſt fonte videre, videt.
Hunc, irata licet, tamen eſt adfata Minerva:
Quis te, poſt oculos non habiture tuos,
Quis te, Tireſia, lucum perduxit in iſtum?
Dixit, & æterna lumina nocte premit.
Conſtitit hic, mutuſque hæſit. nam plurimus ægra
Membra dolor, nimius præpedit ora timor.
Tum Nympha exclamat, Puero quæ damna dediſti,
O dea? num divis hæc in amore fides?
Eripuiſti oculos pueri. proh pectora, fili,
Palladis infauſto quam male viſa tibi!
An ſolem poſthac tu numquam aſpexeris? heu me,
Me miſeram: heu Helicon numquam adeunde mihi.
Haud facto par pœna ſuo. nam lumina cæcas,
Nec damis alias, nec metuenda capris.
Sic ait, amplexum defletque miſerrima natum,
Mater ut amiſſum quum gemit ales Itym.
At dea dilectam vitæ miſerata ſodalem,
Compellat tali ſacra Minerva ſono:
Dia comes, revoca quæcumque e bile locuta es.
Excæcat ſobolem non mea dextra tuam:
Nulla mihi puerorum oculos rapuiſſe voluptas:
Sed rata falcigeri lex jubet iſta ſenis,
Ut qui forte deum (niſi cui permiſerit ipſe)
Viderit, is viſu præmia digna ferat.
Dia comes, mihi facta nefas feciſſe deorum
Irrita: Parcarum ſic ſtatuere manus,
Fatales a luce manus, qua prodiit ortus.
Quin tu igitur meritæ præmia ſortis habe.
Quot dein Autonoe ſacros adoleret honores!
Et quot Ariſtæus! votaque quanta darent,
Ut puerum poſſent Actæona cernere cæcum!
Atqui erit ille tuus, magna Diana, comes.
Non tamen hunc curſus, ſocliique in montibus arcus,
Venturis potorunt eripuiſſe malis,
Quum divam imprudens conſpexerit amne lavantem:
Sed dominus canibus præda erit ipſe ſuis.
Oſſaque tum genitrix nati, nemora omnia luſtrans,
Colliget, in multis invenienda locis.

Et

Et te felicem, te dixerit illa beatam,
Quæ puerum hac habeas conditione tuum.
O mea, ne plores: etenim pro lumine rapto,
Illi, te propter, munera plura dabo.
Scire futura dabo, reliquiſque excellere vatem
Omnibus in ſera poſteritate viris.
Noverit is, volucrum quæ proſpera, quæque volatu
Irrita, & augurio quæ mala ſignet avis.
Plurima Bœotis oracula, plurima Cadmo
Concinet, & magnis plurima Labdacidis.
Addam etiam, quo cæca pedum veſtigia firmet,
Fulcrum illi, & vitæ tempora longa bonæ.
Solus & a leto Stygiis conſultus in oris
Vivet: & hunc, Pluton ageſilae, coles.
Sic ait, & nutu firmat. nam ſi cui Pallas
Adnuit, id debet firmiter eſſe ratum.
Natarum hoc ſoli pater, omnia ferre paterna
Conceſſit; nulla nam dea matre ſata eſt,
Sed Jovis e cerebro. cerebrum Jovis omnia nutu
Firma, ſuoque ſimul cum patre nata facit.
Pallas adeſt vere: venientem mollibus ulnis
Excipite, Argolidis quas pius urget amor.
Edite clamores, date vota, attollite plauſus.
Pallas, ave, & curæ jugiter Argos habe.
Salve, quoquo abeas, & colla huc mitis equorum
Reflectle; & Danaos promta tuere focos.

EJUSDEM JOANNIS CHECOTII CARMINA NONNULLA.

I.

Ad Amicum.

(Hanc Elegiam ſcripſit Auctor admodum adoleſcens.)

DUM te continuum ſolantem carmine amorem
Frigidus in viridi litore Parma videt:
Atque indignantes molli ſub gurgite Nymphas
Se ſe mortali vincier a domina;
In qua te tantum duplex Amathuntia torret, (dos
Quantum quum Daphnes Phœbus Hamadrya-
Paullatim fibris dulcem implicuiſſet amorem,
Hæmoniis flevit ſaucius aggeribus:
Tempore quo potum paſtor deducere vaccas
Optavit ſtabulis, Theſſala terra, tuis.
Nympharum domus, & longe reſonantia ſaxa,
Et vaga Penei fluminis hoſpitia,
Vos teſtes, miſeri quæ flerit Apollinis ardor:
Seu paſſim croceo ſidera pulſa polo
Stillantes pelago tollens Aurora capillos
Nereidum ad ſolitas exigeret choreas:
Seu quum noctiferos oſtendens Heſperus ignes
Invitas tremula luce fugaret aves,

Quas

Quas mater verita obſcuræ diſcrimina noctis,
Increpitans pennis acciperet cubitum.
Nam quid te juvat, o niveo magis alba liguſtro,
Atque eadem ſcopulis ſævior Hadriacis,
Me miſerum extenuare, ac lentæ dedere peſti,
Quæ ſenſim inrepens paſcitur oſſa mea?
Quod ſi me tali torqueri peſte neceſſe eſt,
Atque id melle tibi dulcius eſſe poteſt,
Ah ego cur tantos leto finire dolores,
Nec poſſum in gremio, vita, perire tuo?
Omnia quæ levibus ventorum credita pennis
Arduus e ſcabris rupibus Oſſa refert.
Nec Phœbo prodeſſe comæ immortalis honores,
Nec poterat numeris docta ſonare lyra.
Cui tu nec forma multum, nec carmine diſpar,
Dum quereris dominæ flebile diſcidium,
Me tenet arboribus variis mihi conſita ſilva,
Et fons, lucidulis quem vehit amnis aquis.
Hic mihi naturam placeat ſervare fugacem,
Et Lunæ, & Solis perdidiciſſe vias.
Semine quo magni conſiſtant ætheris orbes,
Et cur tam vario lumine Luna micet.
Quid pluvias, Auſtroſque graves, quid fulmina cælo
Sufficiat, ſeras quid pariatque trabes.
Aut cur, florentem Zephyrus quum liquerit annum,
Inferat æſtatem pulverulenta Ceres.
Quam ſubit Autumnus muſto circumlitus atro:
Mox venit imbrifero vertice triſtis hiems.

Tum

Tum ſtellarum ortus canere, ac prædicere ventos,
Dum fortis durum villicus urget opus.
Quæ poſt eveniſſe ſtupeſcat ruſtica pubes,
Et me tam certas fandi iniiſſe vias.
Non mihi ſit formoſæ ad limina flere puellæ,
Nec dextram teneris implicuiſſe choris.
Nec foribus clauſis grandes opponere vectes,
Nec dominam ad lacrimas ſæpe movere novas.
Naturæ potius viridi ſpatiarier horto,
Et cupiam ſuaves demetere inde roſas.
At neque pœniteat, modo me trahat illa voluptas,
Muſæo interdum ſpargere cuncta ſale.
Orpheu, te pecudeſque, boumque armenta ſecuta,
Fluminaque, & Tempe ſaxa coiſſe ferunt:
Atque ubi vel gregibus fuerat mons arduus olim,
Aurigæ celeres incaluiſſe rotas.
Dum caneres Lunæque vias, Soliſque labores,
Stellarumque vagos, Nocte regente, choros.
Quin etiam infernas potuiſti flectere leges,
Et deploratæ conſulere Eurydici.
Scilicet hæc poſſunt manes revocare ſepulcris
Sola, & de nigris oſſa ciere rogis:
Et ſola obſcuro nomen ſubducere leto,
Atque ad longinquos ferre Boryſthenidas.
Hæc mihi contingant olim. nunc teque, tuamque
Aſpiciat læta fronte benigna Venus.

II.

II.

Vicetia urbs N. N. Præfectum, a se discedentem, alloquitur.

MULTAS post hiemes quum me permittere divis
Visum est ut longa prosperitate forem,
Tempora venerunt nigro signanda lapillo.
Hei mihi quam celeres illa habuere pedes!
Ergo ego postremum misera hac te luce videbo,
Heu pater, heu pectus pectoris ipse mei?
Te propter, mihi nec belli sentire furores,
Nec fuit externos pertimuisse duces.
Exemplum vixi, te propter, nobile mundo.
Tu mihi tu tanti caussa decoris eras.
Et potui hospitio magnos mihi jungere REGES.
Tunc ego quam multis invidiosa fui!
Non possum reticere: vetat tamen omnia mæror,
Et rumpit medio tristia verba sono.
Ergo abeas, capiasque tuam post longa quietem
Tempora. me hoc uno non doluisse decet.
Non ego sum tanti, ducas ut nocte labores,
Et tenuet graciles alba senecta genas.
Vive, pater. Pylii vivas ut Nestoris annos,
O ego si possem contribuisse meos!
Tum, tibi quæ venit diis adspirantibus uxor,
Expleat ingentis munera connubii.
Quumque tui steteris præcelsus honore senatus,
Inter & æquales conspiciendus eris,

Me

Me quoque ne pigeat reliquis, pater, addere curis.
Tunc mihi quam felix facta videbor ego!

III.

LYCIDAS.

LANGUENTES Lycidæ pascit dum somnus ocellos,
Obstrepitans placidæ qua fluit humor aquæ;
Et querulo argutæ strident modulamine quercus,
Tum vario tellus picta colore nitet;
Tu notos pueri vultus, gressumque, Cupido,
Induis, & faciles, improbe, fallis oves.
Illæ autem Idalio perculsæ corda lepore,
Nec memores herbæ, nec memores laticis,
Confestim ignotum circumfunduntur Amorem,
Et se se tenero conglomerant lateri.
Atque ibi dum excitus Lycidas circumspicit, & ne
Procedat nimium grex, timet, in nemore;
Vixque levi digito sonitum dat semisopitus;
Continuo ad dominum corripuere fugam:
Voce licet, fremituque alter fugientibus instet.
I nunc, & te amens confer Amor Lycidæ.

IIII.

IN EDITIONEM OPERUM

ANDREAE NAUGERII

A JOANNE ANTONIO VULPIO

PROCURATAM

EPIGRAMMA.

Ἀλλ' τίς ἐκ οἰκτρόν σε πολὺ ϗ σχέτλιον εἴποι
Ναυγήϊ; ὃν γαίᾳ ζῶντα ὂν ἀλλοδαπῇ.
Πολλὰ θεὲς τιμῶντα ὡς νόσιμον οἱ ἐπίνδυσαι
Ἡμαρ, ἀεικελίως εἵλετο μοῖρ' ὁλοή.
Τόσσα δὲ Μασάων πινυταῖς πεπονημμένα χερσὶν,
Τόσσα γέμοντα ἄκρας βίβλία σωφροσυνης,
Ὡς ἐπλω Εὔροτέ Νότοτε φέρουσιν ὁμ' ἰχλω,
Φᾶ, φᾶ, τῆς λήθης πικρὸς ἄνειλεν ὀδύς.
Τίς δ' ἐκ ἀὐαίωνα πάλιν ἀὐδαίμονα τ' εἴποι;
Οππότ' ἔρως ἀειτων Οὔλπιϑ ἀὐλοκάμων,
Οὔλπιϑ, ὃν Ληθῆς μάλα τιμᾷ ϗ Διὸς υἱός·
Οἷα φίλη μήτηρ, ἠδὲ γλυκεῖ' ἄλοχϑ
Ανδρὸς ἐπερχομμένη λάθ' ὅσσα, λεῖψανα πάντα
Δέξατο, ϗ νεκρὸν κόσμον ἔδωκεν ἔχειν.
Ω μάκαρ, ὡς πολὺ νῦν μᾶλλον σέθεν ὔνομ. λάμπει,
Η ὅσον ἀπείρ. νυκτὸς ἔβλαψε φθόνϑ.
Χαῖρε κόνις, ϗ ἧ τιμῶν ὤναι' ἐνὶ τύμϐῳ,
Καὶ σὺ πανδύμα σοφὸν χαῖρε ὂν Ηλυσίῳ.

V.

Idem Latine redditum,

EODEM CHECOTIO

INTERPRETE.

NAm quis te miſerum non dixerit,& male natum,
NAUGERI? cara quem procul a patria
Optantem longos reditu finire labores
Pallidus infernis obruit Orcus aquis.
Quid memorem æterno ſtillantes nectare libros,
Quos Muſæ argutis texuerant digitis?
Hei mihi, ceu nebulæ ventorum ſponte feruntur,
Omnia Lethæo perdita dente jacent.
At nunc felicem fugiat quis dicere? quando
VULPIUS, auricomæ quem pereunt Charites:
Cui pulchra adſurgit proles Latonia: mater
Ut bona, vel multis candida cum lacrimis
Conjux oſſa viri quærit, ſic undique lectas
Perfudit claro lumine relliquias.
Felix, ah quanto recipis cum fenore quidquid
Abdiderat longis invida Nox tenebris!
Eja agite officio cineres gaudete ſepulti,
At docta in campis gaude anima Elyſiis.

VI.

VI.

INSCRIBENDUM SEPULCRO
SEBASTIANI FRATRIS,
immatura morte præpti.

NEc mihi te quidquam poterat contingere vivo
Triſte, nec abrepto dulce quid eſſe poteſt.
Quod reliquum eſt vitæ, frater, totum dare luctu
Certum eſt, perpetuis implicitum lacrimis.
Illa modo lætum faciet lux, illa beatum,
Quæ mihi complexus reddet amica tuos.

VII.

SUB EFFIGIE
D. CAROLI BORROMAEI.

FErrea torpentes premerent quum ſæcula terras,
Et ſcelus abruptis paſſim ferretur habenis,
Tum mortale genus cælo miſeratus ab alto
CHRISTUS labenti miſit te, CAROLE, mundo.

FRANCISCI ZANOTTI
BONONIENSIS
CARMINA.

AD FERNANDUM ANTONIUM GHEDINUM.

ELEGIA I.

ETsi me variæ rapit inconſtantia ſortis
Jampridem, incertæ verſat & orbe rotæ:
Nunc vero, fieri quod numquam poſſe putabam,
Torquet Amor duræ ſævitia dominæ:
Quæ, niſi opem fert Juppiter, aut alius deus ullus,
Hei mihi! rus longam cogitat ire viam,
Meque ſuum juvenem confectum pæne dolore,
Inque malis tantis impia deſerere:
Ah, tibi ego ſi quid placui, ſi me quid amaſti
Umquam, per Venerem, perque ſuum puerum,
Per te ipſam oro, vita, mane. an tu, lux mea, credas
Unum me ſine te vivere poſſe diem?
At, memini, quondam, quum non ſic dura fuiſti,
Dulcius eſſe aliquid me tibi non poterat.
Nunc tibi mens alia eſt; at non mihi, non mihi certe,
Qui te fixam unam ſemper habebo animo;
Teque die ſemper, te ſemper nocte vocabo,
Fruſtra, etſi multis non ſine lacrimulis.

Non

Non ſecus ac quondam deſerti ad Strymonis undam
Orpheus erepta dicitur Eurydice:
In tantis, GHEDINE, tamen mæroribus, inque hoc
Luctu, qui me intus devorat aſſidue,
Nec ſinit, heu, noctes requieſcere, ſcripſimus ad te,
Quem unum pluſquam oculos diligo, pluſquam
animam.
Dicitur ut caro flagraſſe in Caſtore Pollux,
Quem ut voluit divis Juppiter inſerere,
Atque novum cæli ſidus facere, Eſt mihi, dixit,
Frater: is in partem, Juppiter, ut veniat.
Qui ſubito arreptus magni juſſu omnipotentis,
Ad fratrem ſedes venit in ætherias;
Poſtque aliquot menſes incedere cœpit Olympo:
Ille alto ſe ſe proluit Oceano.

Ad Virum Celeberrimum

JOANNEM BAPTISTAM MORGAGNUM

In Gymnaſio Patavino Anatomes Profeſſorem Primarium.

ELEGIA II.

QUOD ſcribis, MORGAGNE, ſatis placuiſſe, quod ad te
Miſi, incomtum illud carmen, & horridulum,
Quod, mihi quum mordax laceraret pectora cura,
Et miſerum urgerent Sors, Amor, & domina,
Neſcio qua tacitum & longum ſub rupe querenti
Mi mea dictarat candida Calliope,

Id

Id gratum eſt mihi; ſed quod rurſum adducere tentas,
Meque ad Muſarum delicias revocas,
Poſſem utinam! at quis me credat (niſi ferreus ipſe eſt)
In tantis quidquam ſcribere poſſe malis? (eſt,
Tempore nam ex illo mea quo mihi reddita amica
Quam unam præ vita carã habeo atque oculis,
Non poſſum, quales tulerim, quantoſque labores;
Quot gemitus, quot ſuſpiria, quot lacrimas,
Dicere, quotque preces, ut duram flectere mentem
Poſſem, mi miſero fundere opus fuerit.
Quum mihi viſceribus furor hic hæreret in imis
Interea, & ſaxis ſtaret ea aſperior.
Ah! quid tantum a me peccatum eſt, Lydia? quod tam
Tam dirum potui admittere flagitium,
Tamque grave, ut me tot pœnis, & tam male plectas?
An non te toto ſemper amavi animo?
An non laudavi ſemper, formamque probavi?
Quæ tamen, heu, miſerum quid benefacta juvãt?
Illa quibùs dictis jam cœperat inflammari,
Jam flecti precibus cœperat illa meis.
Jam ſe culpabat, jam ſe duramque vocabat:
Ipſa fatebatur lenta fuiſſe nimis.
Litterulaſque mihi mittebat idemtidem, & oh quas!
Quas, credo, ipſe ſuis ſcripſit Amor digitis.
Queis ego ſollicitum, ut poteram, ſolabar amorem;
Quum ſubito ecce aliud mi accidit horribile.
Nam dum candentem mi dextram porrigit illa,
Spondet & optati gaudia conjugii,

Nec

Nec tãtum quidquam potis eſt exſtinguere amorem;
Cogitur ad patrios illa redire Lares.
Ad patrios, MORGAGNE, Lares heu cogitur illa.
Quo perculſa novo fulmine mens animi
Excidit, atque omnes ſecum ſenſus rapit una,
Omnes delicias, omne meum ſtudium.
Quare nec dulces impellere pollice chordas
Nunc mihi, nec teneris ludere carminibus,
Nec ſolita cura eſt præcingere tempora lauro
Triſtia, nec colles ſcandere Pierios;
Sed flere, & longas ſine ſomno ducere noctes;
Qualis dimiſſo Penelopea viro
Dicitur, ille inter quum prœlia verſaretur
Agmen agens muros militum ad Iliacos.
Quæ tamen haud ſolis ſibi tum metuebat ab armis,
Verum etiam a ventis, & mare navifrago,
Quum ſæpe egrediens portis bipatentibus Hector
Se ſe per medios irrueret Danaos,
Cogeret & ventis rurſus dare vela ſecundis:
Illa autem ſcibat, quanta pericla maris.
Quæ tamen heu voluit, voluit GHEDINUS adire
Heu miſer, & rapido credere ſe pelago.
Et nunc heu (qui ſcit?) nunc illum forſitan Auſter,
Forſitan unda mali verberat Oceani.
Tune igitur patriam potuiſti linquere terram?
Tune igitur triſtem deſeruiſſe patrem?
Tune igitur dulces fratres, caramque ſororem?
Et procul a cara vivere tun' domina?

Par-

Parcite vos fluctus, vos, quæso, parcite venti,
Et facite ut faciles naviget ille vias.
Et rediens omnes circum amplexetur amicos,
Inque suæ gremium se referat dominæ;
Quæ misera, heu, frustra aversos amplexa Penates
Qualia pro caro vota facit juvene!
Infelix! sed quid luctus nunc persequar illos?
Lydia me torquet, Lydia cura mea est.
Hæc mihi lætitias omnes, hæc gaudia ademit,
Hæc cor, hæc mentem surpuit, hæc animum.
Hæc me perpetuo vultum pallescere cogit,
Et madidas lacrimis semper habere genas.
Quare, si quos vis, renuo tibi mittere versus,
Hoc ego non renuo, verum Amor, & domina.
Qui te utinam, MORGAGNE, magis feliciter urant:
At fore mi semper difficiles video.

AD PUELLAM.

ELEGIA III.

(*Argumentum pro antiquo fictum.*)

MENE igitur vanæ semper servire puellæ?
Mene igitur duræ ferre jugum dominæ?
Munera quid nobis, quid nobis carmina prosunt?
Ah per vim atque minas illa movenda mihi est.
Vis alias movit; vis te quoque, dura, movebit.
Perfida, quid rides grandia vota mea?

Si

Si neſcis; magicos docuit me Veïa verſus.
Poſſum ego te in ferrum vertere, te in lapidem.
Et faciam; nam quid fulvi me verticis aurum,
Contextus gemmis quid juvat iſte ſinus?
O pereant crines, pereant gemmæque, ſinuſque.
Illa mihi tanti cauſſa fuere mali.
Illa per obſcuras me cogunt ire tenebras,
Et caput egelidis imbribus objicere.
Illa jubent miſerum tota hic me nocte jacere,
Et latus in duris frangere liminibus.
Limina dura! quibus toties excludimur; ah vos
Grandine vos cælum verberet, & pluvia.
At dominæ imperium crudelis vos premit: illa eſt
Impia; laxari vos vetat illa mihi.
Impia, pande fores. non ſic excludere amantem
Fas eſt. per magnam non licet hoc Venerem.
Quid ſi ardens ira, rapidus, præcepſque venirem,
Armatos ducens in tua tecta homines?
At ducam; quando nec te ſuſpiria noſtra,
Nec poſſunt ullæ flectere te lacrimæ.
Ducam. illi æratos evellent cardine poſtes.
Fracta cadet multo janua cum ſtrepitu.
Ipſe etiam ingreſſus, clamans te perſequar uſque,
Injiciamque manus, diripiamque comas.
Non mihi te mater, non te mihi ſubtrahet ullus.
Frangam te multis, impia, verberibus.
Nempe etiam e ſumma poſſum te, ſæva, feneſtra,
Si furor impulerit, præcipitem ejicere.

Quid loquor? ah miſerum quo me rapit ira, dolorq;?
Hei mihi! non ullis vincitur illa minis.
Parce, precor; ſæpe hæc etiam ſum dira precatus
Ipſe mihi; parce, o parce, puella, precor.
An mihi tam rigido credas præcordia ferro
Cincta eſſe, ut poſſim tanta videre mala?
Non faciam. ſed tu reſera jam, lux mea, poſtes,
Jam reſera; excluſo quæ tibi laus puero eſt?
Non peto ego tecum nocte hac concumbere poſſe
Furtim: poſſe loqui, poſſe videre peto.
Id ſi dura negas; mulier non te edidit ulla,
Sed potius rabidis tigribus es genita.
Sed tamen uſque negas. O ferro, & durior ipſis
Saxis! multa tuo dii mala dent capiti.

AD DIVUM PHILIPPUM NERIUM.

ELEGIA IV.

ETsi animum ſubito perculſus funere amici,
Quem nuper mihi mors invida præripuit
Exſtinctum miſere, atque ipſo in flore juventæ,
Spem patriæ, noſtri ſpemque ſodalitii,
Vix poſſum ingenium ſolitas appellere ad artes
Muſarum, & mentem vertere ad hæc ſtudia,
In quibus exercet ſe ſe generoſa juventus,
Tantis curarum fluctibus intus agor;
Non poſſum tamen, o felix, atque optime NERI,
Hic ego non aliquos promere verſiculos.

Non

Non quo facta tua, & divinas dicere laudes,
Et quæ factorum præmia magna capis,
Ipse putem me posse, aut, si possim, hoc opus esse.
Sunt qui resque tuas, & decora, & titulos,
Virtutesque æterno carmine complectantur;
Mi satis est animum expromere, & officium.
Scis tu; quum potui, pastores Arcadas inter
Quæ tibi, sancte senex, carmina persolui.
Nimirum ingenuas ego tunc per Apollinis artes,
Quum nullis curarum æstibus abriperer,
Gaudebam, exsultansque animo, lætusque ferebar:
Nunc me crudelis nocte dieque dolor
Occupat assiduus, animique in limine perstat
Expellens omnem pectore lætitiam.
O pater, o mihi da curæ moderarier isti,
Et luctum hunc tantum cõprimere, & lacrimas,
Quas dudum cari mors immatura sodalis
Exprimit. haud peto ego hoc pro pietate mea.
Pro meritis, & pro virtutibus ipsius ipsis,
Pro fide, & eximia relligione peto.
Nam meminisse decet te, quæ mihi multa precatus,
Dulcia quum vitæ tempora transigeret,
Ille fuit, quum se ante tuam prosterneret aram
Dona ferens multis non sine lacrimulis;
Postea linteolo quas leniter abstergebat,
Plorantem ne quod proderet indicium.
O qualem, & quam nunc mutatum tempore ab illo,
Dulcis Alexander, te miser excipio!

Dulcis Alexander, noſtri ſolamen amoris
Quondam, nunc luctus, perpetuuſque dolor.
Non jam ullam inviſes aram, non jam amplius ulla,
Hei mihi! pro caro dona ſodale feres,
Quem miſerum liquiſti, & pectore conſternatum.
Credo equidem, nec mi id quidlibet eripiat,
Te vita meliore frui, & cæleſtibus auris
Veſci, interque altos degere cælicolas.
Illic res omnes, rerum & primordia cernis,
Tam multa unde exſtant, tam nova, tam varia,
Quæ nos ignari miramur, at omnia paucas
Per leges Natura expedit, & faciles.
Ut Solem obducant maculæ, radiantiaque aſtra
Fixa ſuis maneant ſingula vorticibus:
Utque iis circumfuſa volumina materiai
Immenſis ſe ſe circumagant ſpatiis;
Atque alios orbes ſecum, ingenteſque planetas
Præcipites curſu præcipite abripiant,
Aſpicis, utque ſuo de vortice quiſque cometa
Exeat, inque alios tranſvolet, inque alios.
Quãquã equidem nil hæc plane ſunt omnia, nil ſunt,
Ad tua ſi propius gaudia reſpicio,
Quum Deus illabens præcordia in intima, ſe jam
Præbet, & ipſe ipſam mentem animi alloquitur.
Tum nempe illa nova, ac mira dulcedine rapta
Exſultat, nec ſe ſe capere ipſa poteſt. (verſo,
Hæc quidem ego recolo, & tacitus mecum omnia
Felicem & te nunc eſſe ſcio, & fateor.

Quin

Quin etiam (adjuro teque, & tua numina, NERI)
Sublevor, hæc mecum ipſe omnia dum reputo.
Nã decet, immo æquum eſt, ſi quæ ſint gaudia amicis,
Gaudere, atque eadem illa eſſe putare ſua.
Sed tamen ut cari vultus, atque oris imago
Mi redit, & numquam, numquã ego te aſpiciã!
Numquã te amplectar poſthac! numquã alloquar! o me
Me miſerum! qui tunc intima ad oſſa dolor
Labitur, & mentem, & ſenſus mihi furripit omnes!
Quare ego per ſanctam, quam violaſſe, fidem
Me numquam puto, tu numquam certe violaſti,
Te precor, atque ſimul te, venerande ſenex,
Cui priſco de more ſacrum hunc celebramus honorem,
Si quidquam hæc curas, atque hominum ſtudia,
Votaque de cælo bonus aſpicis; hanc mihi, quæſo,
Si fieri potis eſt, demite triſtitiam.

DE

DE GUIDONE ANTONIO BARBATIO
BONONIENSI SENATORE,

Quum is ſummum Patriæ magiſtratum III. iniret Kal. Januarii Anni CIↃ IↃ CC XVIII.

ELEGIA V.

QUI primum prono terræ æquora findere aratro,
Et virgulta in humum defodere inſtituit,
Et qui vitigenos fetus, & pabula læta
Monſtravit, vitam quæ recreant hominum;
Quique animo & maria, & terras cõplexus, & omnes
Aërios tractus, ætheriamque plagam,
Inſtitit omnigenarum inquirere pondera rerum,
Naturamque, & motum inſpicere, & numerum;
Ordine quo, & per quas leges Natura gubernet
Fulgentes ſtellas, ut face Sol roſea
Undique terrarum immenſa circum ſola luſtret,
Succedat tacitis humida Nox pedibus:
Et qui navigii dubia ratione reperta,
Arte nova rudem adhuc imbuit Oceanum:
Quique alias nobis artes aliaſque tulerunt,
Non tantum humano proſuerunt generi;
Quantum is qui linguã arte inflectens, nomina prima
Finxit, tum rebus diſtribuit variis,
Singula commonſtrans digito, quæ voce notabat.
O mirum, dignumque omnia quem celebrent

Sæ-

Sæcula, cui ſtatuas ponant, cui templaque, & aras
Inſtituant, ſanctis non ſine muneribus!
Nam ſimul ut ratio tali tantoque reperto
Aucta eſt, qualia tunc protulit in medium
Certatim quæcumque ætas inventa deinceps!
Mitto & ſcribendi multiplicem & variam,
Cantandiq; inſignem artem,& ſtudium numerorum,
Quorum ope recludi abdita quæque putant;
Omnia quæ, vocum niſi fulgor prænituiſſet,
Nunc premeret cæcis improba nox tenebris.
Sed quid, quid facundia? quid vis illa potentis
Eloquii, cui obſiſtere nil potis eſt?
Nomine ſi careant res, an non muta jacebit?
Et tamen humanum ſola genus potuit
Triſtibus a ſilvis, tætriſque abducere ab antris;
Quum illic ætatem vi coleret miſeram,
Non ratione; ævumque agitaret more ferarum:
Quod ſimul adfata eſt vociferans ratio,
Perdomuit, dictiſque bonis manſueſcere fecit.
Felices animæ, munere quæ ſuperûm
Tam claro, tamque egregio vitam illuſtraſtis!
Vos ego ſæpe meo carmine ad aſtra feram.
Quamquam equidem multo mihi Guido beatior eſſe
Creditur: is Guido, cui ſua purpureum
Felsina vexillum dat habere,& pandere ad auras:
Cui neque præſtantis ſplendida ſenſa animi,
Virtutum ſoboles præclara, nec aurea deſunt
Verba, quibus pandit ſingula mirifice.

O fe-

O felix vere, multo & felicior illis!
Nam quid mundus adhuc scire tener poterat,
Quum primum extulit ora, atq; hãc emersit ad artem?
O miseram artem! cui splendidæ opes fuerant
Notitiæ tenues, & pauca vocabula. sed quas
Conflavit quantas post sibi divitias
Aeternæ lumen rationis, & intima rerum
Perscrutans, artesque artibus accumulans?
Quas sibi quum ingenio, longoque paraverit usu
GUIDO, proh quali, & quam valido ore ruens
Dicendi formas devolvit verba per omnes!
Nam seu dictis ille omnia terrificis
Misceat, ancipiti perfundens corda pavore,
Territat, & trepidam turbat ab imo animam:
Sive foras terrorem agat, atque ad fortia cives
Accendat; quid tum difficile esse queat?
Quid non impavidi tum cives aggrediantur?
Et quidquid promit ore, oculis, habitu,
Adsistunt, præstoque ei sunt ad cuncta, timendi
Verborum comites, ira, amor, invidia:
His premit, his mentes hominum propellit, & urget.
Quales non illi quos mi adeo celebrant,
Tullius, & Crassus, Romanæ robora suadæ:
Non Laertiades ille vafer Danaûm
Hortator, ductorque, idemque omnis pater astus;
Qui, postquã ad veterum mœnia Dardanidum
Raptoris Phrygii confixus arundine plantam
Thessaliæ columen concidit Aeacides;

Au-

Auſus Achilleam eſt primus ſibi poſcere parmam,
Quum miſera, & ſine hero illa jaceret humi,
Atque unus contra nequidquam ſurgeret Ajax.
Ille Jovem, & ſuperos, Oceanumque patrem,
Et magnum Simoenta, & litora teſtabatur:
Magnanimi adſtabant, prima virûm, proceres.
Queis neque doctrina GUIDO, nec laude ſecundus
Ulla, quoſvis per pectora mirificos
Concutit eloquio motus, & verſat, agitque,
Impellitque animos quo lubet, unde lubet.
Jam vero ſi hilares animi velit edere fetus,
Omniaque arguto ſpargere dicta ſale;
Ut geſtit, ut tunc oratio tota renidet!
Ut ſe ſe flores induit in varios
Luxurians ſermo ridentibus undique verbis!
Atque hunc miramur, qui loca Pieridum
Avia tam ſubito peragret, ſaltuſque beatos?
Nempe alii unum hoc mirentur; ego id minime.
Etſi illic non Titanas telluris alumnos,
Non Cadmi repetit facta, nec Aeſonidæ,
Herculeave manu domita Stymphalia monſtra:
Hæc temnit, non hæc unius aſſis habet;
Quæ vel falſa, vel aucta hauſit mens credula vulgi:
Nobis fama vetus, vana anus, hæc loquitur.
At neque gliſcentes tractat per gaudia curas,
Quæ nimium multis paucula triſtitiis
Miſcet Amor volitans puerorum pectora circum,
Queis omnes libat lætitias animi:

Et miſeri illius extollunt carmine laudes.
O miſeri! quorum noſter hic haud ſimilis
Heroas tantum, heroumque ingentia facta,
Prœliaque, atque acies grandiloquo ore tonat.
Ut gladiis hinc diſtrictis Germana juventus
Irruat, hinc pubes Thracia, flos Aſiæ:
Ut ſe ſe ferat in primis, medioſque per hoſtes
Fulminet EUGENIUS, dum miſeram interea
Bello ardeſcentem crudeli undeundique complent
Europæ, atque Aſiæ funera Pannoniam.
Hæc tantum ille canit. teque, o Tritonia virgo,
Teque vocat, rixæ dure comes rabidæ,
Bellorumque pater Mavors, videt, & ſibi fruſtra
Invidus extremum mordet Amor digitum.
O ratis, o cælo ratis olim digna locari,
Quæ BARBATIADAS per mare navigerum
Geſtabas quondam felix, o quam bene terras
Liquiſti Siculas, clara deûm genitrix!
Nam tu non gemmas, non veſtes murice tinctas,
Non Colchis raptum nobile vellus ovis,
Sed miram virtutis vim & decus aſportaſti.
Quæ poſt progeniem lapſa per innumeram
Ad ſeros venit patres, capita inclyta; demum
ANTONII excepta eſt pectore magnanimo.
Amnis uti quum alios alioſque effluxit in amnes,
Immenſum tandem excurrit in Oceanum.
Hinc plures GUIDO & doctos ſibi jungit amore
Muſarum comites, dulce ſodalitium:

Hinc

Hinc & BASSANUM illum ipſum complectitur: illum
Quem unum ego multa inter millia ſuſpicio:
Dulcem BASSANUM, jucundum, ſuaviloquentem
BASSANUM, quo jam urbs illa vetus PATAVI
Hoſpite, nunc gaudet mea FELSINA. namq; venuſtum
Et lepidum eſſe ajunt. quamquã ego id inficior:
Nam mi non lepidus, verum lepor ipſe videtur
Ipſe lepor, ſal ipſum eſſe, meruſque jocus;
Et quos edit verſus, illos non ego verſus,
Sed puras putas eſſe reor veneres.
Qualis mane novo dum roſcida matutinus
Lucifer æquoreis exſerit ora vadis,
Et Zephyrum vocat obſcura ſub rupe latentem,
Chloris odorato quem tenet in gremio;
Ille levi fertur per florida prata ſuſurro,
Et dulcem ſpargit per nemora alta ſonum:
Improba dum teneris rixatur frondibus aura,
Huc illuc ſicca pervolitant folia:
Dulce ſimul cantant volucres, quas undique multæ
Quercus frondiferis excipiunt domibus.
Ac veluti aeriæ, & tangentis nubila rupis
Emicat exeſo rivulus e latere,
Cujus ubi exiguis adliditur unda lapillis,
Non ſine jucundo lenta fugit ſtrepitu:
Talis. quid talis? nam quis te comparet illis?
Immo multo etiam dulcior, & melior
Suavidicis fertur numeris tua Muſa, JACOBE;
Seu tu illum dominos evehis ad ſuperos

MORGAGNUM humanæ illuſtrantem commoda vitæ,
Dum ſollers medicis invigilat ſtudiis,
Et cæcas aperit cauſſas rerum, & nova ſemper,
Et pergit ſemper pandere mirifica.
Et vero ut facilis, dii magni, ut lenis in omnes,
Ut ſibi vel duros concilians animos (quis
Cunctis dulcem inſpirat amorem! O Juppiter, hunc
Non ipſis oculis plus amet, ipſa anima?
Te tamen, excultis ſive illum verſibus ornas,
BASSANE, o quis tum te furor intus agit!
Sive ipſum hunc celebras GUIDONEM, & grandia facta,
Unde ætas noſtra hæc fulgeat ad reliquas,
Carmine complexus veniens producis in ævum,
Virtutem tantam ne neget ulla dies.
Atqui ipſum hoc agit & GUIDO; ac ne immemor ætas
Nocte tegat cæca pulchra hominum ſtudia,
Scandere Muſarum interdum juga nititur. illi
Adſurgunt omnes undique Pierides,
Et liquido cantu mentem paſcunt. novus ei tum
Exoritur vigor, & pectora Apollineus
Intima pervadit calor. O quos accipit ictus
Phœbeos! o quæ concita mens animi
Tum fingit ſimulacra, & partes verſat in omnes!
Tum vero tum ille nubiferaſque vias, (nat,
Dum ſtimuli ſubſunt animo, & liquidum æthera tra-
Sanctaque magnorum templa deûm ingrediens
Præclaros IGNATIADAS extollit ad aſtra
FRANCISCOS, unum Gallia quem ſuperis
Miſit,

Miſit, ut armorum quæ gens laude anteït omnes,
Ne illa foret ſancta relligione minor;
Alterum & Indorum patrem, & decus Hiſpanorum:
O pater, o tua hinc quam procul oſſa jacent!
Qui tantus, quinam tantus te te impulit ardor
Extremos longe viſere Japonios?
At non ut tu illinc gemmarum, aurive referres
Munera, per dubia vela dabas maria:
Tantum ut gentem ſemotam, tantum ut nova regna
Chriſtiadum antiquis finibus adjiceres.
Felix qui veſtras laudes efferre canendo
Eſt potis! huic furor eſt, hic mihi numen habet;
Hunc præſens tradet ſæclis venientibus ætas,
Illa aliis tradent ſæcula, & illa aliis.
Fert nam equidem magnos ætas hæc noſtra poetas:
Sed tamen hi magni tenuia ſæpe canunt.
Dii faxint, ut tam præclaris artibus iſtum,
Tamque bonis ſtudiis erudias puerum,
Qui tibi nunc primis, GUIDO, floreſcit in annis,
Jamque tuis confert grandia facta atavûm;
Sed celeri ingenio mox clara exempla ſequetur,
Virtuteſque addet præterea ipſe ſuas.

AD

AD JOANNEM ANTONIUM VULPIUM.

ELEGIA VI.

VULPI, cui gelidum Pindi nemus, & loca Phœbo
Sacra novem doctæ dant habitare deæ;
Egregium mihi quem ſtudium, & præclara voluntas
Devinxit ſanctæ fœdere amicitiæ,
Cui nemo, ut ſpero, quiſquam me carior uno eſt;
Tantus te noſtræ cœpit amor fidei;
Quamquam ego ſolvendis paullo ſum tardior illis
Quæ tuus altus amor poſtulat, officiis,
Non hoc, quæſo, animi ingrati, mentiſque malignæ,
Sed magis eſſe puta pauperis ingenii.
Nam quod tam longo tibi ſcribimus intervallo,
Id non, crede mihi, fecimus immemores.
Hæret adhuc animo, & fixum penitus manet illud
Immortale tui carminis officium,
Cui ego, qua poteram, quum reſpondere pararem,
Non fuit heu facilis cur mihi Calliope?
Scis, dea, me totis tum niſum viribus eſſe.
Sed nunc, quum ſtudii VULPIUS omne genus
Præclare illuſtrans, fama compleverit orbem,
Nunc vero mea non gaudia mente premam:
Sed dicam, ut potero. vos dextram mi date, Muſæ,
Cultorem veſtrum dum ſuper aſtra voco.
Nã quum corrumpant anni, & pulchra omnia libent,
Indomitam poſſint nec ſaturare famem,

Con-

Contra ille obniti, & vim ævi convellere tantam
Non timuit tota ſolus in Auſonia.
Eque vetuſtatis tenebris, & nocte profunda,
Omnes quæ fetus devorat ingenii,
Educit veterum divina poemata vatum,
Perfunditque novis omnia luminibus.
Tum vitam, & mores enarrans, & genus, omnes
Diſcutit antiqui temporis hiſtorias.
Tune igitur, VULPI, tun' blandi dulcia COTTAE,
Tun' FRACASTORI carmina reſtituis?
Et quos divino ALAMANNUS percitus œſtro
Verſiculos rudibus ſcripſerat agricolis?
Quæque adeo admiror, Muſis, & Apolline digna,
Per te nunc vivunt carmina NAUGERII?
Carmina, quæ quondam liquidas jactabat ad auras
Formoſæ referens ora, oculoſque ſuæ?
Dum caneret, Fauni circum undiq; protinus omnes,
Et Pan illi aderant, & Satyri, & Dryades:
Quin etiam Hadriaco ſunt viſæ e gurgite Nymphæ
Vicinis paſſim ſidere litoribus,
Stillanteſque ligare comas poſt candida terga.
Ille intus totum exuſtus amore animum
Flagrantes oculos pulchræ cantabat Hyellæ,
Quaſque ſibi injiceret Gellia blanda faces.
Et modo ſævitiem crudæ memorans Telayræ,
Unam quam toto pectore caram habuit,
Ut flebat miſer! illum omnes circum undique Fauni,
Illum Pan flebant, & Satyri, & Dryades.

Im-

Immitis Telayra, quid is committere tantum
Heu potuit, quem tu perfida ſic crucias?
Aſpice, quam largo perfundat pectora fletu
Ambabus tergens ora puer manibus.
Ille poteſt cantu immenſum te ferre per orbem,
Atque parem antiquæ reddere Tyndaridi.
Tu tantum ne averte oculos, ne deſpice amantem.
O miſeros nimium quos tuus ardor agit!
At tu, docte puer, quid fruſtra te amplius angis?
Ne dubita: pœnas illa dabit ſceleris. (Amoris
Quin te animo obfirma, & contra omnia ſpicula
Invictus perſta pectore magnanimo.
Aſpice, quæ longe poſt nos ætas veniat, quam
Innumera annorum progenies ſequitur.
Illa aliquem feret olim, qui tua facta, tuumque
Aeternas referat nomen in hiſtorias.
Quas inter ſe ſe multum admirata deinceps
Omnia certatim ſæcula pervolüent.
O felix VULPI, nobis qui talia promis,
Ne inrepens ætas omnia dente terat.
Quantum Romani te diligit umbra TIBULLI,
Si quidquam hinc campos fertur ad Elyſios,
Quum ſe ſe ille tuis audiverit illuſtrari
Libris, quos Pallas, quos Cytherea probat.
SEXTUS & ipſe ſuæ laudat te ſæpe puellæ,
Gratatur juveni LESBIA ſæpe ſuo.
Atque aliquis propriis metuens oblivia chartis,
Nam longinqua ætas immemor eſſe ſolet,

Quam

Quam ſibi fulgorem veſtræ cupit editionis,
Illius antiquum ne pereat ſtudium!
Tu tamen ornatos, quæſo, ne pone libellos
Qui tibi ſunt, VULPI, jam, reor, in manibus:
MORGAGNI ornatos, immortaleſque libellos,
Invida quos olim poſteritas releget.
Illic humanis præpandit lumina membris,
Et fibras fibrarum indicat, atque aperit,
Morborumque domos, & ſacræ habitacula mentis
Detegit, ut toto in corpore nil lateat.
Quas tenues, cæcaſque vias, ductuſque paravit,
Quot Natura imis, quæ loca viſceribus
Exigua, ut vix vis animi valeat penetrare!
Atqui hæc ipſa tamen hæc videt, & referat
MORGAGNUS, tot nobilium pater inventorum.
Cujus jam celeri fama ſonans ſtrepitu
Trans Batavos, trans diviſos toto orbe Britannos,
Arctoaſque domos vadit, & ulterius.
Et vero hic ille eſt MORGAGNUS quem mea quondam
Excepit docto FELSINA cara ſinu:
Is cui tanta ſedet tam grata modeſtia vultu,
Nil ut eo fingi poſſit amabilius.
Hic ille eſt quem nunc PATAVI exoptata ferentem
Dogmata, tota unum ſuſpicit Italia:
Quem nunc propterea VENETI, capita inclyta, PATRES
Muneribus cumulant, atque novis titulis.
O factum bene! o quid me jam lætius eſſe,
O dii, quid me felicius eſſe poteſt?

Quam ſuaves illi mores, quam candida mens eſt!
Illi non ulla eſt ira, nec ambitio.
Et rixas odit, veſanaque jurgia. tantum
Hæc illi, verum noſcere, cura ſedet:
Quod quum perſcrutans cauſſas inquirit in omnes,
O ut mira animos, Juppiter, arte capit!
Nam quidquid vult, non tantum efficit id ratione,
Aſt etiam facie, & dulcibus alloquiis.
Qualis ubi ætherios accendit Noctifer ignes,
Flammea quum laſſis Sol juga demit equis,
Aura levis nigræ ſoboles placidiſſima noctis
Litore nonnumquam ſurgit ab Heſperio:
Agreſtes illam per prata virentia Fauni,
Et chorus errantum captat Hamadryadum;
Tam ſuavem, MORGAGNE, animum, tales tibi mores,
Tale tibi natura indidit ingenium.
Cujus, mi VULPI, ne ceſſa promere librum,
Ne, deſiderio dum teneor, peream.
Aſt ede, atque tuos aliquos adjunge libellos,
Quos Muſæ volvent protinus, & Charites.
Horum unuſquivis, vel ſi penitus periiſſem,
Reddere defuncto mi potis eſt animum.

MAT-

MATTHAEI BURDEGATI PATAVINI CARMINA.

I.

QUUM JOANNES FRANCISCUS BARBADICUS S. R. E. CARDINALIS,

A Brixienſi ad Patavinam Eccleſiam gubernandam traductus eſſet, Anno CIↃ IↃ CC XXIII.

QUIS te felicem non dixerit, & bene natam,
Gens PATAVI; quum ſis invidioſa aliis
Gentibus, ereptum ſibi quæ teſtantur ocellum,
Quum BARBADICO facta ſuperba ſuo es?
Veronæ gemitus audivit Brixia: nunc tu
Brixiam inexpleto flere dolore vides;
Immiteſque deos, crudeliaque aſtra vocantem
Audiſti, quum ſe cerneret (heu miſeram!)
Quod numquam verita eſt, facie Paſtoris amati,
Quem plus ſe illa ſuis ſcibat amare oculis,
Orbari: diſceſſurum quum mæſta videret,
Et poſtrema inter munera deficeret.
Deſine flebilibus cælum complere querelis,
Brixia, magnanimum ſi modo pectus habes,

Quod necopinanti tanto Paſtore carendum
Eſt tibi: noſtra tuus ſcilicet iſte dolor
Gaudia, triſtitiæ guttis adſpergit amaris,
Nec communi adeo lætitia patitur
Noſtros exſultare animos, quin te miſerantes
Ultro mærentem non leviter doleant.
Et tamen aſpice, ut illuviem deponat anilem
Urbs de Trojanis condita relliquiis,
FRANCISCO adveniente: ut rideat undique tellus,
Et cælum argutis perſonet alitibus.
Ipſa parens Doris centum comitata puellis,
Læta per Hadriacas ludere geſtit aquas
Delphinum tergo inſidens; vicinaque Nereus
Fatidicis implet litora carminibus.
Cui ſenior Triton concha reſpondet ab antris.
Sanctaque ſilvarum numina Hamadryades
Feſtivos pergunt certatim tollere cantus,
Noſtraque compoſitis ire per arva choris.
Ipſi etiam noſtri velamina pinea Fauni
Quaſſantes capitis ſemiferi, virides
Et ſaliunt per agros, & procurrunt, redeuntque
Innumeris acti lætitiis animi.
FRANCISCO, molli ſunt prata virentia muſco,
FRANCISCO erumpens uberiore etiam
Vena fons quivis garrit manantibus undis:
Et nigras violas, puniceaſque roſas,
Luteoloſque crocos, & purpureos hyacinthos,
Atque alios flores educat aura ſolo.

Omnia

Omnia FRANCISCI adventu dare ſigna videntur
Lætitiæ: remove, Brixia, jam lacrimas.
Quid tua adhuc triſti corrumpis lumina fletu?
An quod amans caro Præſule abeſſe procul
Fers ægre? invitus plane de ſede receſſit
Ille tua: in fatis at fuit hoc PATAVI.
Jam tibi FRANCISCUS primævum invexerat aurum,
Et niveos cælo juſſerat ire dies:
Pace tua & noſtram ſolari is debuit urbem.
Et vero ut fines contigit Euganeos,
Muſcoſo caput antiquum Medoacus ab antro
Suſtulit, & lætis ora rigans lacrimis,
Nempe mihi emeritus Patrui quum ſpiritus olim
Aetherias peteret, morte jubente, domos,
Curarum hæc requies, & ſpes hæc certa relicta eſt:
Haud noſtra Aeolii vota tulere Noti.
En novus Euganeis venit deus incola terris.
Dixit, ad æternum ſeque recepit opus.
Jam ſumit, FRANCISCE, animos te præſide Virtus,
Sperat & ingenuum tollere ad aſtra caput.
Nempe tuum numen, quæ pæne ſepulta jacebant,
Candori priſco munera reſtituit.
Per te, magne pater, quam deſperata voluptas
Expulit a noſtro pectore amaritiem!
Quum procul a ſacris juſſiſti abſcedere tectis
Ignavos pleno gutture vulturios,
Contra illos revocans, cordi queis aurea ſemper
Juſtitia, & morum candida ſimplicitas.

At

At cuinam potiora putas hæc gaudia, quam mi,
Cui de materno ſanguine ſervitium
Dulce domus, FRANCISCE, tuæ ſervatur ab annis
Pluribus? eſt etiam hoc nomine carus avus.
Hoc mi unum variis fortunæ fluctibus acto,
Hoc unum dederunt fata benigna bonum.
Vive diu, populis præclara exempla daturus:
In BARBADICAE more fuit poſitum
Hoc gentis: ſed prima fuit tibi cura fovere
Virtutes Patrui Præſulis egregias.
Atque utinam Summi vox ſancta & certa Parentis
Te vivo, Patruum fecerit Indigetem: (rum
Quo tum animo, FRANCISCE, putem, qua mente futu-
Te, pia quum ſacro tura dabis cineri?
Scilicet immenſo perfuſus gaudio ad aram
Stabis cum populo vota ferente tuo.
Sollemnes feret interea cæleſtium honores
Ille tuis etiam lætus ab auſpiciis.
Quumque bene impleris longævæ tempora vitæ,
(Ut meritos ornant præmia juſta viros)
Te tandem placido claudentem lumina ſomno,
Sidereis Patruus ſedibus excipiat.

II.

II.

AD JOANNEM ANTONIUM VULPIUM,

Amicum eximium ac ſingularem.

HIc ubi in antiquam properãs Antenoris urbem
Medoacus curſu liberiore fluit;
Seque petit ripa ſiſti ulteriore viator,
Quem celer adjuncto navita lintre vehit;
Candide, me, ut noſti, mihi reddit villula, VULPI,
Dum licet a rauco longius eſſe foro.
Nam recreor, ſeu cymba levis, cantante magiſtro,
Vicinas curvo remige findit aquas;
Ruſtica ſive choros ducit per gramina pubes,
Populea incomto ſerta gerens capite.
Sæpe ruber pictas magno clamore Palæmon
Terret, & occulta in retia cogit aves.
Et me denſa vocat ſubter vineta latentem,
Atque hilari prædam ſumere fronte jubet.
Interea maris Heſperii declinat in undas
Sol, & anhelantes ſedulus urget equos:
Ecce Charinus adeſt, veteres qui cantet amores,
Cui cithara exuſto pollice tacta ſonet.
Verſibus ille modos agreſtibus aptat inertes:
Hi tamen agreſti ſimplicitate placent.
Quæque juvant animos curis & amore ſolutos
Omnia noſter habet commoda parvus ager.

Nam

Nam quum me Phyllis crudelius ureret olim,
Phyllis & alpinis candidior nivibus,
Et nigris oculis, nigro & ſpectanda capillo,
Sed qua perfidior femina nulla fuit,
Grata nec eſſe mihi poterant ſpectacula in urbe,
Nec formoſa oculis prædia culta meis.
Tunc me ſævus Amor, tunc ſævi mater Amoris
Juſſerat immitis ferre jugum dominæ.
Heu quoties torvi tulimus faſtidia vultus,
Et tulimus triſtes corde pavente minas!
Nunc vel felices auſim contemnere curas,
Votaque placatis ſolvere numinibus.
Quorum ego ut illecebras poſſem vitare nocentes,
Nudaſti quotquot ſunt in amore doli.
Quam felix fuit ille dies qui fecit amicum
Te mihi! quam vere candidus ille fuit!
Nam memini, dulci quum me ſermone teneres,
Proferreſque animi vota modeſta tui;
Quantus te priſcæ virtutis tangeret ardor,
Quam ſequitur recto tramite verus honor.
Cetera quid memorem? tua me facundia cepit,
Compulit & certo vivere conſilio.
Nec ſine te firmam poterat ſperare ſalutem
Mens ægra, in levibus perdita deliciis:
Nec ſine te dulcem ſubito deponere morbum,
Ac penitus Paphiæ linquere ſigna deæ.
Te monſtrante, animum tranquillæ dedere vitæ
Perdidici, & vulgi poſthabuiſſe vias:

Et

Et fructus aliquot, non adverſante Minerva,
Qualiſcumque mei percipere ingenii.
Te duce ſepoſitas Heliconis adivimus umbras,
Labraque Pegaſeo proluere amne datum eſt.
Nec tecum piguit longos perferre labores,
Nec tam prærupti ſcandere ſaxa jugi.
Quid mihi mentis erat, quum te reſerante viderem
Abdita Muſarum clauſtra adaperta mihi?
Tum nova ſollicitum tentarunt gaudia pectus,
Gaudia quæ ſenſus ſurripuere meos.
Non ita Chironis pendebat ab ore diſerti
Cærulea quondam progenitus Thetide,
Seu caneret ſoliſque vias, lunæque recurſus,
Et quæ perpetuis ignibus aſtra micant:
Sive illum citharæque modos, artemque doceret,
Imbueretque ſua callidus ipſe manu.
Ex illo quid juncta fides, quid mutua noſti
Cura, quid unanimi in pectore poſſit amor.
Scilicet iſte tuum potuit lenire dolorem
Solus, & indomitam pellere triſtitiam,
Quum tibi ſperatum rapuiſſent improba linguæ
Rivalis linguæ murmura conjugium.
Ut tamen ereptæ penſarunt damna puellæ,
Ut fecere tibi dii potiora bona!
Quid refert? ſatis es MOSCHINA conjuge felix,
Per quam tota tua eſt plena decore domus.
Non ea femineis eſt quæ vacet anxia nugis,
Quæque ſuas tantum fingat inepta comas:

Aut si qua assiduis nimium morosa querelis
Conficit immeritum nocte dieque virum.
Ingenuis ornata magis nec moribus ulla est,
Illâ quid deceat nec videt ulla magis.
Sic tibi contingat soboles optata: quid ultra
Supplice jam, VULPI, numina voce roges?
Illa tibi mentemque bonam, ingeniumque dedere,
Quod ventura probent sæcula, & invideant.
Non omnis moriere: tui pars optima vivet,
Dum refluant pulsis æquora litoribus.
Et merito: tua nam celebrat cultissima Phœbus,
Et legit Aonidum carmina sæpe choro.
Quid potius celebretque, legatque libentius? *ille*
Odit, & incultos respuit aure sonos.
Multus enim Ausoniis qui perstrepat anser in oris,
Qui canat hoc nostro tempore rarus olor.
Nempe canorus olor gaudet felicibus auris,
Non umquam facili deficiente cibo.
Hei mihi, quis possit fortuna pressus iniqua
Rebus in angustis otia lenta sequi?
Nam neque Mæcenas nunc est, qui talia curet,
Quique animo vates jusserit esse bono:
Ac si forte aliquis tulerit pro carmine laudes,
Idem laudato carmine pauper erit.
Paupertas tamen ista magis cupienda poetis,
Quam magno argenti pondere barbaries.
Barbaries miratur opes, opibusque fluentem
Suspicit, ac solum diis putat esse parem.

Sed

Sed tu divitias ſapiens contemnis inanes,
Contentuſque tua vivere ſorte potes.
Credo equidem, paucis (liceat modo vera fateri)
Munera largitos tanta fuiſſe deos.
Gaude, quod nullus Muſarum cultor ab Auſtro,
Et nullus gelido cultor ab axe venit,
Quin te conveniat, cupiatque audire canentem,
Juret & invitos inde referre pedes.
Nec minus ipſe ſuos fert CAJETANUS honores,
Frater Ledæo Caſtore amabilior,
Quem Pollucis amor fecit, pietaſque per ævum
Alternis terras linquere temporibus,
Aetheriaſque domos, cælumque habitare paternum,
Et divûm ſedes, non renuente Jove.
At tu ſume animos: tibi, CAJETANE, quod optas,
Ad ſuperos virtus inclyta pandit iter.
Te curante, diem veterum monumenta reviſunt,
Tot monumenta malo pæne ſepulta ſitu.
Iſque tibi labor eſt, ea cura, ut docta virorum
Scripta ornare novo lumine ſemper ames.
Quos certe Elyſia lætos in valle putandum eſt
De pietate loqui, deque tuo hoc ſtudio.
Tu modo ne numquam perituro parce labori,
Nec te opere a tanto ſevocet ulla dies.
Tuque adeo, præclare, tuos deprome libellos,
ANTONI, & cultis verſibus adde novos.
Et mihi mitte; aderit præſto tibi nuntius a me,
Credere cui poſſis: ſed magis ipſe veni.

Te dudum exſpecto, dudum te exſpectat agellus,
Et Fauni, & Dryades, & nemus, & ſalices.
Heu fruſtra exſpectamus; habes quid in urbe moreris:
Te retinent patrios inter, amice, Lares
Aut ALDRIGHETTI pulchrum ſectantis avena,
Et lyra Pindaricos docta referre modos;
Seu recinat ſanctos formoſæ Doridis ignes,
Sive amet egregios tollere ad aſtra viros:
Aut Elegi, Etruſco SALIUS quos carmine noſter
Ducit, inexhauſto maximus ingenio;
Quem modo feſtivæ juvat antra ſubire Thaliæ,
Et modo plorantis funera Melpomenes.
Ille Sophocleum florenti ætate cothurnum
Sumſit, & inceptum grande tuetur opus.
Hos doctæ nobis ſic devinxere ſorores,
Nulla ut ferre queant tempora diſcidium.
Vivite felices, mea maxima cura ſodales,
Fataque ſint veſtris candida conſiliis.
Præcipue, multos rerum ſpectate per uſus,
VULPI, mi vita carior, atque oculis,
Sis felix, votique potens; & munera noſtra,
Parva licet, lætis excipe luminibus;
Siſque memor noſtri, nec poſſit ſera ſenectus
Solvere quæ ſapiens vincula junxit amor.
Noſtra fides certe manet, infragiliſque manebit,
Dum mihi feralis tibia triſte canat.

III.

III.

Ad Aeglen, de Amynta venatore.

PARCE piis lacrimis, Aegle, nimioque dolori:
Desine tam pulchras dilacerare comas.
Vivit, & incolumis rediit tuus ignis Amyntas;
Et cecidit multo vulnere fossus aper.
Jam parat exuvias magno suspendere templo,
Et venatrici solvere vota deæ.
Namque feræ miserum rabidis e dentibus illa
Dicitur invicta surripuisse manu.
Te quoque pastori nostro, Venus alma, dedisse
Auxilium, fama est: te quoque, blande Puer.
Nunc, age, compositis, ter felix Nympha, capillis,
Cinge triumphali tempora fronde tua.
Laudes ipse canam: tales sibi Cynthia honores
Postulat: hoc uno munere plura dedit.
Servatus tibi carus amans, mihi fidus amicus,
Maxima Pieridum gloria, matris amor.
Arcadiæ peritura fuit spes. Ergo quotannis
Ante alias nobis festa sit ista dies.
Hic ego cæspitibus statuam silvestribus aram,
Imponamque sacro tura, merumque foco.
Tu vitulā, aut niveum mactabis, Nympha, juvencum:
Nos dabimus pleno de grege semper ovem.
Altera dein Veneri statuetur, & altera Amori.
Sola tibi sint hæc numina, sola mihi.

IIII.

IIII.

De puella fluvio mersa.

IBAT Leucothoe nitidas ad fluminis undas,
Aestivam ut sicco pelleret ore sitim.
Fama est, Naïadas facie stupuisse puellæ,
Et subito injecta corripuisse manu.
Ergo formosas nequeunt loca sola tueri?
Et divina malus pectora livor habet?
At sibi cæruleæ sociam voluere sorores,
Augeret sanctos ut dea facta choros.

V.

EX ITALICO FRANCISCI PETRARCAE:

Or vedi, Amor, che giovinetta Donna
Tuo regno sprezza &c.

EN tua, fortis Amor, contemnit regna Lycoris,
Et nihil, heu, nostro tangitur illa malo.
Sunt tibi tela, arcus: mediis in floribus illa
Nuda pedem, & molli in gramine lenta sedet.
Uror ego: sed, si pudor est, deprome pharetra,
Inque repugnantem conjice tela feram.
Nempe jacens mi animus surget te vindice: at illa
Quid valeat læsi sentiet ira dei.

DO-

DOMINICI LAZARINI
DE MURRO MACERATENSIS
CARMINA.

I.

Fingit, ſe provectiore ætate in amorem incidiſſe.

UMBROSI montes, & montibus abdita vallis,
Umbria qua ſolem vergit in occiduum,
Vos colit Auſonidum Crene pulcherrima, cui ſe
Lesbia nequidquam comparet, aut Nemeſis:
Quæ me nunc & prima docet, quid ſpicula poſſint,
Quid pharetra, & flammæ, ſæve Cupido, tuæ.
Jam didici, ſeræ oblitus decedere nocti,
Carminibus rigidas flectere velle fores.
Jam poſſum aeria tacitus mecum ipſe ſub ulmo
Lugere, & longo paſcere luctu animum:
Et deſiderio poſſum tabeſcere inani,
Poſſum etiam extremum velle obiiſſe diem.
O ſtudia, & præclaræ artes, & jura, valete;
Et mihi culta diu Stoa ſuperba, vale.
Tu mihi pollicita es perituram tempore nullo
Pacem animi, & vitæ gaudia perpetua.
Credideram, nos poſſe homines obſiſtere Amori;
Sunt etenim iſta tui dogmata ſtulta ſenis.

Qua-

Quare ego quum fidebã animis, tum vana loquebar,
Unde gravis læſi creſceret ira dei.
Qui nunc me miſerum tanto crudelior urget,
Quanto olim placido reſtiteram improbius.
Stoa ſuperba, tuæ male me dementia cepit,
Creditaque incauto grandia verba ſcholæ. (do,
Quod neque amarim ætate apta, neque amore ſecun-
Et quod amem adverſo tempore, culpa tua eſt.
Tunc etenim quum jam florebam vere juventæ,
Noſtra quidem fuerat nympha ſuperba minus.
Nunc turpes ignominias mihi ferre neceſſe eſt,
Adjunctumque gravi dedecus imperio.
O amor, o commune malum divûmque, hominumq;
Ne miſerum inſueto me velis eſſe jugo.
Te ſequar heu quacumque jubes: me jam illius olim
Quo fidebam, animi pœnitet indomiti.
Non ego, ſi jubeas, detrectem ducere ſulcos,
Et premere immundo pinguia muſta lacu.
Non ego ad imperium dominæ, læta procul urbe,
Detrectem ardenti demetere arva die.
Jam quidquam nihil eſt olim quod turpe putaram,
Quod non eſſe putem magnum in amãte decus.
Invideo tibi nunc, luciſque & carminis auctor,
Quod vilem Amphryſi laveris amne gregem.
Et multa cum laude etiam genus Amphitryonis
Duxerit invicta mollia fila manu.
Quidnam homines poſſint? mugit pater ipſe deorum
Litore in extremo, Sidoni terra, tuo.

Et

Et patitur ſtimulis adigi, ridente puella, (ſui.
Aeque hominum, atq; deorum immemor, atque
Et cui miſcebat Ganymedes pocula divûm,
Virgineos lambit per maria alta pedes.
Illum ſalſipotens, illum Nereïdes udæ
Miratæ undiſonis exſiliere vadis.
Pube tenuſque Jovem excitæ comitantur amantem,
Triſtitiamque abigunt, rapta puella, tuam.
Interea victor torquebat tela Cupido,
Et ſenſere ignem monſtra marina ſuum.
Aëria de rupe procul lata æquora ſpectans
(Nam perraro oculos dimovet ille mari)
Pan deus Arcadiæ ex animo ſuſpiria ducens,
Te petit unam, unam te, Galatea, oculis.
Immitis Galatea, viden' quæ forma Tonanti eſt?
Quantaque divina cornua fronte nitent?
Aut igitur poſthac noſtrum ne deſpice vultum,
Cornuaque; aut ipſum ſperne ſuperba Jovem.

II.

In funere optatiſſimi amici,
CLAUDII N.

TE raptum ante diem fatali funere, CLAUDI,
Quem dulcem a puero, atque unicum amicum habui,
Sæpe animo, ſæpe ore voco, & crudelis amaror
Me jubet in longa vivere triſtitia.
Si non abſenti inferias tibi ferre ſepulto,
Ponereque e Pario marmore ſigna licet;
Attamen (hoc etenim ſupremo poſſumus unum)
Triſtia donamus carmina cum lacrimis.

III.

DE FONTE MURRANO.

ET gelidus fons eſt clivoſo e tramite ductus,
Vitifer & circum collis opacat humum.
Huc venit ex agro lymphis Fauſtilla ferendis,
Huc potum e pago plurima nympha venit.
Hinc tu ſudantes mannos averte, viator,
Spuma oris nitidos ne inficiat latices.
Quod ſi ſacrilegus vitream vitiaveris undam,
Oblita ſit limo quælibet unda tibi.

FINIS.

JOAN-

JOANNIS ANTONII

VULPII

ANTIQUIORIS,

PATRICII, ET EPISCOPI NOVOCOMENSIS,

CARMINA

QUAE EXSTANT OMNIA;

Partim & antea typis vulgata, partim ad hanc diem inedita.

ACCESSERE

HIERONYMI VULPII,

Cosmographi suo ævo excellentissimi, Joannis Antonii fratris, Epigrammata nonnulla.

DE VITA
JOANNIS ANTONII
VULPII
ANTIQUIORIS,
EPISCOPI NOVOCOMENSIS.

JOANNES ANTONIUS VULPIUS, *antiquior, natus eſt Novicomi, Pridie Kal. Februarii Anno MDXIIII. nobili quidem genere, ſed quod ipſe ſuis virtutibus, rebuſque præclare geſtis longe nobilius effecit. Quum ſex fratrum natu maximus eſſet, adoleſcens admodum patrem amiſit: quo caſu, Græcarum Latinarumque litterarum ſtudia, ad quæ mira quadam animi propenſione ferebatur, ſubito interrumpere coactus eſt. Patrui nempe juſſu Ticinum commigravit; ibique plures annos Juriſprudentiæ perdiſcendæ egregiam operam dedit. In patriam deinceps reverſus, cauſſas actitare cœpit, magna clientium frequentia: remque familiarem ejuſmodi ratione inſigniter adauxit. Electus eſt etiam a ſuis civibus, qui luſtrum conderet, ac jura municipalia conſcriberet: moxque de rebus maximis ad Carolum V. Cæſarem legatus miſſus. quod munus ita explevit, ut opinionem prudentiæ quam de ſe in animis omnium excitaverat, abunde confirmaret. Sed quum ampliſſimis honoribus decorari cuperet (modo ipſi poetarum in morem de ſe loquenti credendum ſit) hortantibus etiam amicis, & ſpem optimam oſten-*

oſtentantibus, quam celerrime Romam contendit: qua in urbe, apud Alexandrum Farneſium, S. R. E. Cardinalem, æquiſſimum doctorum hominum æſtimatorem, inter nobiliores aulicos aliquamdiu commoratus eſt. Quum autem ſe otioſe vitam traducere, neque a domino in re ulla graviore adhiberi animad verteret; aulæ moribus offenſus, & minus proſpera valetudine uſus; quod Romani aeris vitio, pleriſque exterorum ætatem illic degentium contingere videmus; in ſuorum complexum denuo ſe contulit. Patriam igitur Eccleſiam, loco Bernardini Cruceji, Novocomenſis Epiſcopi, abſentis, quem Romæ purpuram captare dicebant, longo tempore adminiſtravit: tandemque a Paullo IV. Pont. Max. Crucejo ipſo flagitante, qui ſe ſponte dignitate abdicaverat, ſucceſſor ejus creatus eſt Anno MDLIX. Concilio Tridentino interfuit, atque in illo publico Chriſtiani orbis theatro, quantum pietate ac doctrina præſtaret, ſatis oſtendit. Dicenda etenim ſententia, de ſanctiſſima religione majorum, quam tunc perduelles ſcelerate oppugnabant, optime promeritus eſt. Pii IV. Pont. Max. juſſu ſemel atque iterum, Gregorii poſtea XIII. auſpiciis legationem ad Helvetios, illuſtrem atque difficilem, ſumma cum fidei ac ſollertiæ laude tertium perfecit. Domum Epiſcopalem vetuſtate labefactatam, reficiendam atque ornandam curavit. Synodos aliquot in ſua diœceſi coegit, in quibus multa egregia atque utilia ab eo conſtituta ſunt. Quamvis autem graviſſimis negotiis diſtineretur, non tamen litterarum curam penitus abjiciebat: quas contra mirifice coluit. In Poeticis ipſum excelluiſſe, nonnulla ejus quæ ſuper-

perſunt Carmina, teſtari poſſunt, præſertim vero Satyræ illæ duæ quas ad Venuſinam lucernam diligentiſſime elaboravit. quo in genere vix ullum profecto invenias qui cum eo comparari mereatur. Summa illi neceſſitudo interceſſit cum D. Carolo Borromæo, cujus fortaſſe opera inter Mediolanenſes Senatores cooptatus eſt: item cum Hieronymo Dandino, ac M. Antonio Maphæo S. R. E. Cardinalibus. Paullum quoque Jovium, Epiſcopum Nucerinum, civem ſuum eloquentiſſimum, in familiaribus habuit. Obiit Anno MDLXXXVIII. III. Kal. Septembris: exacta jam ætate, verum laboribus magis quam ſenectute confectus.

PAUL-

PAULLI MANUTII

EPISTOLA AD

JOANNEM ANTONIUM VULPIUM.

Quæ eſt XXII. libri VIII.

PAULLUS MANUTIUS

JO. ANTONIO VULPIO S. P. D.

VIX credas quam me delectaverint Inſcriptiones a te miſſæ: non ſolum quia diſertæ, ac perelegantes; verum etiam quia gratiæ ineundæ ab ampliſſimo viro, ſingulari virtute ornato, Thoma Altimaro, oblatam occaſionem avidiſſime ſum complexus. nam, quod inde natum eſt argumentum epiſtolæ tuæ, ita ſcriptæ ut ſummum ingenium, ſummum etiam erga me amorem oſtendat; hoc ipſum apud me quanti eſſe putas? equidem, ſigua eſt hujus vitæ felicitas, majorem ejus partem in hominum eruditione, & probitate excellentium, ideſt tui ſimilium, amicitia conſtituo. Quare quum tibi maximas ago gratias quod ad me ſcripſeris, quodque mihi haud paullo plus quam agnoſcere debeam, tribuere videaris, quippe quum ea referas ad judicium meum quorum ego te, ſi arbitrii mei res eſſet, Ariſtarchum libenter ſtatuerem: tum vero ſic velim exiſtimes, ſi quis eſt qui tuæ laudi faveat, qui tuam præſtantem doctrinam in ore habeat, qui denique tua cauſſa ſumma omnia & cupiat & curet, eum eſſe me, daturumque operam ut animum aliquando res ipſa declaret. De Inſcriptionibus, indicavi S. Severinæ Archiepiſcopo, quas probarem maxime: nullam tamen, ut vere dicam, improbare audeo; quum aliquid in unaquaque videam excellere. Vale, & Altimaro ſalutem a me plurimam.

Romæ. Kal. Jun. MDLXIIX.

JOAN-

JOANNIS ANTONII VULPII
ANTIQUIORIS,
PATRICII, ET EPISCOPI NOVOCOMENSIS,
CARMINA
QUAE EXSTANT OMNIA.

I.

AD HIERONYMUM DANDINUM, EPISCOPUM FOROCORNELIENSEM.

SATYRA I.

QUOD te interpellem nugis, dum publica tractas
Munera, & ingenti rerum molimine anhelas; (ceſſe eſt.
Des veniam, vel te culpes, DANDINE, ne-
Qui mihi dum comis nimium, nimiumque benignus
Das faciles aditus, epuliſque, & divite menſa
Excipis, hos a me maleſanos elicis auſus.
Contra alii quidam bifida qui tempora mitra

Cingunt, congressus fugiunt, turbamque precantem
Colloquiis arcent; centeno poste, ministris
Et totidem oppositis. quod si, quum maxima rerum
Postulat hoc moles, precibus, vel munere nonam
Irrumpas, decimæ trudéris limine portæ.
Tu facile ingenium natura, mitius arte
Efficis: hinc casu adverso tristaris amici,
Non secus atque tuo, curis & frangeris iisdem.
Hoc tibi me cogit causas exponere, quare
Sortiti dominum clarum natalibus; annis,
Fortunis, animo insignem, virtutis amicum,
Post sextum mensem Roma discedimus. hoc tu
Forte malum ducis: nos contra. si vacat, audi.
Me pater haud vilis susceptum conjuge honesta
Primum natorum sex, vix fantem, ac pede firmo
Tentantem gressus, semotam ablegat in oram;
Scilicet ut possem post prima elementa, Latinum,
Et Grajum pelagus tuta sulcare carina.
Eventus poterat voto adridere, quod essem
Ingenio haud prorsus stupido; quum quattuor annos
Atque decem nato rapuit Libitina parentem.
Inde domum rediens cesso, lustrumque supine
Traduco. post me patruus patria expulit, atque
Ticinum misit, tabulisque incumbere bis sex
Jussit, scita decem queis sunt inscripta virorum.
Hic ego sub claris hausi documenta magistris
Militiæ, implevique novem stipendia: post quæ
Emeritus mittor donatus cum rude lauro.

Post

Poſt hæc in patria, turba comitante clientum
Dum cauſſas agito & defendo, jura popello
Tætrica reſponſo, non parva pecunia, verum
Quod majus duco, mihi gratia quæritur ingens.
Hinc legor & populi, ſanctique ex mente ſenatus,
Qui luſtrum condam, qui ſcribam civica jura,
Judicio & præſim. poſt noſtra miſſus ab urbe
Legatus, faciles laſſavi Cæſaris aures.
Quid quæris, proprias tumido dum projicis ore
Laudes? hac poteram fortuna vivere lætus,
Ni mihi, ceu ſtipulis ignes, injecta fuiſſet
Ambitio. nobis dum proponuntur honores,
Atque aurum; dum tu occurris, pariterque Maphæus,
Atque alii proceres, qui orbis tractatis habenas;
Nec merita expendo, curas, tantoſque labores,
Inſomnes quæ vos cogunt traducere noctes;
Captus opum tanto ſplendore & lumine, claras,
Ceu Satyrus quondam, flammas exurere ſenſi.
Si mihi non ſtabat Pariis ſuffulta columnis
Regia, nec ſenſus fallentia marmora, ſaltem
Culta domus fuerat; tenuiſque, at munda ſupellex,
Qua exciperem inſignes homines ex claſſe ſecunda,
Communis queis noſtra fuit ſemper domus, & res:
Et cenſus parvus certe, at ſine crimine partus.
Ire ſalutatum nos atria nulla potentum
Cogebant, multa quum limina noſtra ſalute
Ferverent: fuit & comitum lectiſſima turba,
Quos nobis mores, ſtudium, & par junxerat ætas.

His ego gaudebam; domini quum nomine Romam
Advocor. haud credo: sed te vult. me vocat ille?
Sic est. at ludis; quid enim stupidi atque pusilli
Me ingenii cupiat tantus rex? est ita. me? inquam.
Tertia deinde venit; nuto; sed epistola quarta
Expugnat. quis enim multis magnisque repugnet
Promissis? mitto quæ sors sperare juberet.
Ex illo & patria, & comites sordescere nobis
Cœpere, & fastu sensim turgescere pulmo.
Hinc tumidis ducens ingentes follibus auras,
Omnia magna sono, reges, diademata, mitras.
Ante oculos stat Roma mihi, nocteſque dieſque
Hæret Roma oculis. in somnis cernimus arcem,
Rostra, theatra, forum, Saturni templa, Suburram.
Flentibus hinc sociis tandem discedimus, armos
Argento gravida nobis lassante crumena.
Omina, dum propero, retinent me: in limine primum
Offendo, valvisque lacinia vestis adhæret:
Claudicat alter equus soleis offensus: ab alta
Ilice parra canit: læva occurrit lupus: anguis
Rumpit iter: pluviæ, altisque erumpentia ripis
Flumina nos tardant. properavimus attamen, & diis
Iratis magnæ perveni ad mœnia Romæ.
Hic dominus, quod erat curarum pondere magno
Oppressus, sero me admittit ad oscula dextræ,
Excipit & blandis verbis, & fronte serena,
Quæ nutantem animum firmarent: inde suorum
Scribimur in numero. Sed bina cubicula primum

Con-

Conducenda mihi, ſtabulum poſt, deinde culina,
Quæ quater undenas cogunt nos pendere drachmas
In menſe. at dominus promiſit: ferre neceſſe eſt,
Condus ait, multo quod regia plena cliente eſt.
Si diſpenſator jubet, hoſpitiive magiſter,
Chironomo, ſcurræ, perductori, aut citharœdo
Adſurgas: quid enim? pereat ne ſportula; quippe
Tres nobis numerant nummos mercede diurna
Cum pueris & equo: hinc quærenda caro, hinc olus, hinc ſal,
Hinc oleum, ſcombri, pernæ, vileſque faſeli;
Odit enim lepores, turdos, conchylia, mullos
Menſa mihi & pueris communis. Sportula quamvis
Sit tenuis, quæ vix lychnum præbere lucernæ
Sufficiat, nobis numquam datur integra: avaro
A quæſtore aliquid ſemper conraditur: adde
In primo quod nulla mihi ſit reddita menſe.
Præpoſitus ſtabulo domini negat hordea, fenum,
Et ſtramen: negat ille mihi? negat improbus. ardet
Intus bile jecur: deſcendo ad jurgia. tandem
Poſt quartum menſem vilem metitur avenam,
Et putrem culmum, pudeat quem ſternere, & illam
Quæ in vacuas paleas, & purgamenta recedat,
Si cribro excutias. non adſignantur equilis
Aut locus, aut ſtatio. Poſt tres cellarius horas
Dimittit puerum tandem: redit ille lagena
Dimidia, verum ſic diluta, ut mihi Tibris
Fluctuet in ſtomacho, dum credo hauſiſſe Falernum.

Hic

Hic ego: Tot * paream dominis? tot peſſima liber
Facta feram? ſemper me impune a poſte repellat
Janitor implumis, roſea facie, cute levi,
Cirrataque coma? ſi non diſtringimus enſes
Fulmineos, liceat genuinum frangere, more
Lucili, generet rabies ne preſſa venenum.
Mitto, quanta tuli, patiarque incommoda. mane
Summo proſilio ſtratis, & currimus uſque
In Vaticanum, pluviis, ſeu ſolibus æther
Sæviat: hic ſtantes aliquot conſumimus horas,
Ut dominum videam, quem claudunt oſtia centum,
Atque aditus centum. populis ut præbeat aures,
Egreditur tandem; quem nos veneramur aperto
Et capite, & genibus flexis: dum quiſque videndum
Præponit ſe ſe, impellor, turbæque procella
Jactor: poſtremus tum ne ſim, viribus arta,
Et cubito rumpenda via eſt. ſi forte vehatur
Aut mulo, aut rheda, raptim ſequor, ilia equorum
Tundens: poſt redeo perfuſus pallia cœno.
Poſtea quum dominus diſcumbit, ſtans ego contra
Illi me oppono, ut, ſi tollat lumina menſa,
Me videat: luſtroque oculis, ſi forte beatum
Me obtutu faciat; ſi me ſervire parato
Utatur; ſi ſponte aliquid mandet, jubeatve.
Sed fruſtra ante oculos verſamur: namque ſecundus,
Tertius, & quartus menſis mihi labitur, atque
Poſt quintum ſextus, quum nec mandata, nec ullum
Acci-

* *paream*) diſſyllabum per ſynæreſim.

Accipio a domino verbum. comis tamen ille
Omnibus adridere, joco perſtringere, & ultro
Compellare. tamen ſolus dimittor, ut ille
Quem vel relligio, aut peſtis congreſſibus arcet.
Hinc nos ſollicitant curæ, indignatio flammas
Excitat, & rabies nigrum vomit ore venenum.
Ergo ego, qui ut ſcribam, aut reſponſem civica jura,
Evocor, hic tantum ſpectator Laocoonti
Servio marmoreo? præceptis Pythagoræis
Vincior? Harpocratis factus ſum ad templa ſacerdos?
Debebas illum tu compellare. egone illi,
Quem tantæ exagitant curæ, quem tanta fatigat
Congeries rerum, me auſim præbere moleſtum?
Excivit; veni, ſto coram, me videt ille
Luce vel invitus. tu Sauli, tuque Maphæe,
Tuque Jovi, profertis me: reſpondet at ille
Comiter: Eſt cordi; memini; quum tempus erit, tunc
Accerſam. at ceſſo: tentem, DANDINE, quid ultra?
Quid faciam? patere. hic nobis plus deperit uno
Menſe animi cultus, quam quod profecimus anno:
Evolat e loculis æs: curis urimur: adde
Quod mihi relligio eſt domini conſumere fruges
Segniter, & lecto, atque epulis traducere luces.
Ruſticus Aufidius, conducti cultor agelli,
Adſuetus curvo glæbas verſare tridente,
Et ſegetes ſarrire, boves & jungere; multo
Quum frangi interdum ſentiret membra labore,
O ſortunatum, dicebat, cui datur urbem

Inco-

Incolere, & duri vitare incommoda ruris!
Sors favit: vocat hunc quidã heros magnus in urbem.
Accurrit turgens ſpe, atque ambitione laborans:
Deliciis capitur; thermas, & compita luſtrat,
Atque forum. ſed dum dominus nihil imperat illi,
Oſcitat, & vacuus ceſſat, luditque, canitque:
Multa dies tamen & ſupereſt. tunc otia damnans
Urbis, conqueritur tardos procedere ſoles.
Hinc ſe ſe incuſans, quod vitam ferre priorem
Neſciſſet, dominum convénit: Me mihi, dicens,
Me mihi redde, precor, vita ne fungar inerti,
Et menti, & nervis obducant otia callum:
Ne, ſi forte tibi me inviſum fecerit ætas,
Atque tuis domibus migrandum ſit mihi, ſero
Præteriiſſe dies doleam, quod ruſtica nobis
Ars pereat, nequeantque adſueſcere membra *labori*.
Sic mihi, ne ingenium (aſſiduo quod vomere foſſum
Vix ferat exiguas fruges) ſi ceſſet opella,
Ad triſtes redeat ſtipulas, ſecedere præſtat.
Num dominum culpas? me accuſo, quod nimis audax
Huic tanto ſervire viro me poſſe putavi:
Fortunamque meam damno, quæ neſciat uti
Re oblata. Dominum culpem? quis mitior illo,
Munificuſve magis? quum fulgeat omnibus æque
Sol, ſi dureſcit cœnum, ſi cera liqueſcit,
Hæc potius ſolis radios accuſet, an ipſam
Naturam, quæ non valeat dureſcere? comis
Omnibus eſt dominus. neget hoc quis? ſed mihi
(noſtrum Pec-

Peccatum fateor) nimis eſt durus, gravis, aſper.
Has, DANDINE, putas cauſſas, quod linquimus urbis
Mœnia, & armato ſtimulamus calce caballum?
Falleris. ut mittam, quod cura domeſtica dudum
Me vocat, ut, niſi creſcat, ſaltem ne pereat res;
Urget me major ratio: nam cura ſalutis,
Et vitæ nobis præponitur ambitioni,
Atque opibus. licet illa aliis ſit vilior alga,
Eſt mihi cara; ideo leti eripienda periclis.
Sive cibi vitio, ſeu cæli, ſive Falerni
Eveniat, ſeu forte animis illuſtribus aer
Hic ſolitus, nutrire negat viles, &, uti nos,
Degeneres; ego ſemper torqueor, atque laboro
Et ſtomacho, & capite: hoc ſemper vertigine circum
Volvitur, at gravis hic heſternæ pondere cœnæ
Aſſiduo turget. jam ſeptima præterit hora;
Et marceſcit adhuc: ſaltamus, currimus, at nil
Proficimus. ſi ſit cœnandum, fercula ſordent
Languenti ſtomacho: haud obſonia lauta palato
Reſpondent: digito in guttur, ceu pharmaca, cœnam
Farcio; vivendum quoniam eſt; & pondere pondus
Trudimus. hinc macies artus, hinc occupat ora
Pallor: tabeſcunt ſenſus, pupillaque flava
Caligat, crudoſque cibos tuſſi exſcreo anhela.
Sic ego qui vaccas avias, proavoſque elephantos
Poſſem concoquere, offa, & dimidio gravor ovo.
Contemti augentur morbi, præſenſque minantur

Exitium, si nos paullum præcidere causſas
Differimus lenti, quas non lenire valerent
Pharmaca, vel ſucci, medicinæve auctor Apollo.
Vivere commoditas magna eſt, ſummumque bonum. ergo
Sedandæ ingentes curæ, quibus enecor, ipſi
Quod ſim deſpectus domino: fugienda Quirini
Inclemens regio, & cælum grave: noſtra petenda
Eſt patria. hæc, quod nos dederit vitalibus auris,
Aut alet, aut ſaltem producet funera. Roma
Diſcedo, quod vita mihi, quod cura ſalutis
Haud ſpernenda fuit: cauſſam hanc adducimus unam.
Quam ſi forte probas tu, Saulius, atque Maphæus,
Quos veneror noſtri tamquam tria numina ſæcli,
Non ego curarim quid latret cetera turba.
Hæc, DANDINE, tibi Venuſina ſcripta camœna
Carmina dictabam Senis, dum ſedulus hoſpes
Curat equos, nobiſque dapes adponit: ut iſtic
Si quis me accuſet, domino purgare valeres.
Plura locuturum me pagina deſerit: hoſpes
Sollicitat: comites frigeſcere fercula clamant.
Ergo vale, inque tui me ſcribe volumine cenſus.

II.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM.

SATYRA II.

ALTER, FARNESI, jam nobis ducitur annus,
Ex quo cauſſatus capitis ſtomachiq; laborem
Diſceſſi Roma, te permittente benigne;
Et quãvis valeã bene nunc (diis gratia habenda eſt)
Ut proficiſcenti juſſiſti, & pollicitus ſum,
Ad te non redeo tamen: at male juſſa, fidemque
Fallens, conſtituo, & prope certum eſt nolle reverti.
Ne tibi me purgem, fateor peccare, queas ut
Me jure erronem, deſertoremque vocare.
Sumere ſi cupias pœnas, dicique ſeverus;
Ut libet: haud injuſta feram: quod ſi eſſe benignus,
Comis, & humanus mavis, ceu te Itala tellus
Jampridem jactat, parces, errata remittens:
Prætereaque mihi debere fateberis. hoc cur?
Parcere nam magna eſt virtus: hanc adſequitur quis
Virtutem, ſi non ſit qui peccaverit? ergo
Officium cogit mihi te debere. Sed unde
Digreſſus fueram, illuc nunc redeo. Redeam cur
Romam? percunctor te hoc ipſe, tuine, meine
Cauſſa, me eſſe velis Romæ; & ratione probes qua,
Scire velim. at ſi vis, quia ſic libet; ulterius nil
Perquiram, ſed mox properans per tela, per ignes,

Mutatos flagro ſtimulabo, & calce caballos.
Quod ſi deſit equus, poſſum pedes ire, Padumque
Iratum, & cani ſuperare juga Apennini.
Poſſum ego vitales (tibi dum tamen obſequar) auras
Fundere, & exiguæ uſuram contemnere lucis.
Servitio at credis ſi me haud fortaſſis ineptum
Eſſe tuo, doleo quod decipiare. tamen, ne
Imprudens fallare, tibi exponam omnia; ſicut
Inſtitor emtorem qui non poſtponit amicum
Lucro, venalis narrat vitia omnia mercis.
Primum; proveniat quod noſtro a corpore, nullum
Servitium exſpectare potes, quoniam male regi
Adſueſcit ſervire rudis morum, artubus ægris,
Atque incompoſitis: niſi me objectare periclis
Expediat, ſerves ut te, & monſtro objicere offam.
Nec fidibus, nec voce ſcio: nulla ars mihi menſæ,
Vel thalami, vel qua valeam extorquere cachinnos.
Regia ſi noſtra poſſet ſplendeſcere forma;
Adliciens oculos hominum, velut ærea ſigna,
Aut pictæ tabulæ, aut vecti ex oriente tapetes, (ſum.
Gauderem: at neque ſum, quod noſti, hunc aptus ad u-
Corpore ſum longo, exilique: inclinat in armum
Cervix, quæ capitis ſuccumbit pondere: pallet
Os, macies rictum producit, cærula nictant
Lumina. nec barba decorantur tempora: tantum
Prominet a mento ſpirillum, hirtumque, piloque
Subrufo; cui, ſi vulgo adſentis, male credas.
Defluit ex humeris ſemper toga, calceus autem
Sor-

Sordidus. At commiſſa teges ſecreta, fidemque
Servabis. verum hoc etiam ut ſit, quæ tamen iſta
Eſt virtus? melius præſtant hoc marmora, mutæ
Et ſtatuæ. hoc ſolo laudabor? ſi valeo quid,
Ingenio id valeo, quod nec frangat labor; ut ſi
Me dictare velis, vel ſcribere civica jura,
Vel reſpondere; & (ſua ſit quum inſania cuique)
Nos etiam interdum inſanimus carmine, ſed quod
Non valet, & non vult parere precantis amici
Verbis, non juſſis regum, pretiove potentum.
Sed tibi quid notum nitor me oſtendere? noſti,
Vidiſti. ſed me quoniam haud audire loquentem
Contigit, hoc fateor, me nec mediocriter aptum
Servitio eſſe tuo. ergo hoc vile & inutile mitte
Mancipium; niſi te delectant cercopitheci,
Aut nani informes, monſtrorumque id genus omne.
Poſtquam ſervitium averſare, acquirere liber
Famam, & divitias poteras. ego quærere famam?
Qua ratione, modove? an ſic me lumine captum
Ducis, ut ingeniis quibus omnis Roma referta eſt,
Me conferre velim? plaudebam olim mihi, Roma
Nondum perſpecta; nec mox concurrere doctis
Romæ auſus, ſenſi tum primum quam nihili eſſem.
Viderat e celſa mus quondam rupe juvencos
Certare inter ſe, longe in convalle reducta:
Quare avidus pugnæ, ſe æqualem dum putat illis
Deceptus viſu, decurrens credere campo
Audet ſe, propius ſed maxima corpora cernens,
Et

Et molem ingentem, nil, si se conferat illis,
Esse ratus, referens se retro, Aut hi tumuere,
Ni visu fallor, vel nos decrevimus, inquit.
Nunc ad divitias redeo. licet exiguæ sint
Nobis fortunæ, urit opum me nulla cupido,
Vel desiderium. rides; & imagine vulpis,
Quæ jurat gallo non vesci elusa rubenti,
Me ludis. fateor, si me faceres locupletem,
(Quod potes, & velles, hoc si tamen exigere a te
Ausim; non quod sim meritus, sed quod tua gaudet
Munificam quum se natura ostendere possit)
Si non lætarer, non ferrem forte gravate:
Sed quæ ad divitias ducit via? dispeream si
Hoc novi. studium, & labor: ut sim utrique paratus,
Venalisque simul, quis nos conducet, in urbe
Ignotus quum sim? Romæ sine tempore notum
Te esse putas? quid ais? sed quanto tempore? mense?
Aut anno? properas. addatur & unus, & alter.
Hoc nihil est. nihil hoc? totam ergo perdere oportet
Aetatem, & curis angi noctesque diesque,
Ut ditere senex? ut multo splendeat auro
Funus, sarcophago & felix tumuleris eburno?
Nil moror hæc; quoniã interea mihi res perit omnis,
Annus abit; fenus solvendum est; urget agellus,
Ac domus; a nobis prece compilatus amicus
Instat: versuram facio; tandem, ære alieno
Pressus, deficio. Romæ hoc cognovimus ipsi
Experti. Quid opes jactas? summum esse bonum quid
Cen-

Cenſes? virtutem. quid deinde malum? vitium. ergo
Nec mala paupertas, nec opum bona copia, quum non
Hanc vitium, aut illas virtutem dicere poſſis,
* Efficient omni quin vivas tempore felix.
Eſt aliquid coccum induere, & laquearibus aureis
Uti; quis negat hoc? magno procedere cœtu
Stipatum, ſit apud regem cui gratia prima.
Quænam? quum libitum ſit, ſemper in aure ſuſurret,
Sit conviva frequens, & quodlibet impetret. eſt hæc
Maxima res, ſi non lateat ſub melle venenum.
Sed mihi dic, noſtine ut Gratia pingitur? Ingens
Eſt rota, cardinibus volucri axe innixa, rotatu
Quam rapido ſemper verſat hinc Caſus, & hinc Sors:
Stat ſuper hunc uno tantum pede Gratia, librans
Nutantem greſſum, & jam prenſat nubila, cælumque
Attingit digito: huic ante Adſentatio prona
Adridet, ſtupet, & ſolum præſentia laudat.
Pone ſtatim ſubeunt Odium, Indignatio & ardens,
Invidia &, quam mille Doli, Fraudeſque ſequuntur.
Omnes hæ laqueis, tormentis, ignibus, uncis
Incautam obſervant, tergum teſtudine pulſant,
Perfodiuntque latus longe fallente ſagitta.
Quæ titubans, uno vix ſtat pede: ferre tot ictus,
Inſidiaſque nequit, quin det proſtrata ruinam.
Commoda ſi pendas, & cuncta incommoda quæ fert
Gratia, (dum trutinæ ſint æquo pondere lances)
Ad terram hanc videas, aſt illam ad ſidera ferri.
Hæc mala qui videat, cupiatque hac peſte beatus
Eſſe,

Eſſe, refer medico læſa quod mente laborat.
Ut verum fatear, tecum dum contigit eſſe
Romæ per multos menſes, quum gratia apud te
Nulla foret nobis, quum nec ſermone beares;
Me quidam ridere videns, & ludere, Curis,
Quod ſis deſpectus domino, non ureris? inquit:
Quid narras? immo illi plus debere fatemur,
Quod ſinit hac peſte, & curis nos eſſe ſolutos.
Accipe, divitiæ, & quanti ſit gratia apud me.
Quid? quod nil diſtant fortuna ductus ab ima,
Et rex: ipſe tibi poſſum concurrere, claro
Et Ghyſio, etſi vos vocet omnis Roma beatos
Fortunis, animis, & forma corporis. hoc cur?
Mille licet capiant vix veſtras horrea meſſes,
Quas nos ſervamus cumeris, num propterea plus
Quam nos cœnatis? num vinum dulcius, auro
Aut gemma bibitur, quam vitro? num altius ac nos
Stertitis, Attalica in thalamis quod ſtragula fulgent?
An latus clavus diſtinctus murice, & auro,
Quam toga, ſcit melius frigus propellere, & imbres?
Tercentum vobis ſervi famulantur, at unus
Noſtra puer juſſa obſervat, ſoluſque miniſtrat
Pro multis; ſternit lectos, menſamque propinat:
Eſt mediaſtinus, ſtructorque, & denique cunctis
Officiis valet. Ingens vos comitatur euntes
Cœtus: me tres, aut ad ſummum quinque clientes,
Noſtra quibus pretio vox eſt conducta, ſequuntur.
Denique, ut abſolvam uno verbo, æqualia cuncta
Sunt,

Sunt, nec rex diſtat cenſo capite. Eſt tibi tantum,
Quantum opus eſt, & quod naturæ alimenta miniſtret?
Id cape; ab exiguo, aut magno nil diſtat acervo.
Quid? quod fortunæ ſua ſunt incommoda cuique:
Majoreſque agitant majora pericula; ſicut
Non urget lepores, ſed apros, urſoſque moloſſus.
Uruntur reges curis majoribus: alte
Inſidet ambitio: cupiunt ſævire quibuſcum
Sunt inimicitiæ: horrent, ſi forte inſonuit quid,
Ne cadat a ſeta gladius qui pendet equina.
Quid memorem cædes, aconita, & cetera, toto
Quæ, quamvis numerem aſſidue, haud tamen adſequar anno?
Horret noſtra etiam fortuna pericula, ſed quæ
Sunt citra vitæ diſcrimen: denique certum
Quod laudes, & quod damnes, **fortuna habet omnis.**
Sum pauper, me multa premunt incommoda; tu iſta
Cernis: ego video, tibi quæ urat mantica tergum.
Inſtratus ſonipes auro, cui terga premebat
Aere micans eques, ut fama eſt, ridebat aſellum,
Quem paſtu exiguo macrum, nimioque gementem
Pondere, verberibus, ſtimuliſque urgebat agaſo:
Tu potes, ajebat, tot verbera, onuſque, famemque
Ferre? Tibi lippus; qui aliena incommoda cernis
Tam bene? nil prorſus urgent, reſpondit aſellus;
Ilia perfodiunt ſtimuli, urunt ora lupata:
Truderis in contos, enſeſque; eques ulcerat armos:

Hoc nihil eſt? ære an diſtat, ligniſve graveris?
Tu mala noſtra, tuis adridens, cernis: ego ſic
Et tua; fortunæ quoniam eſt ſua ſarcina cuique.
Hac ratione tibi æquales nos dicimus eſſe,
FARNESI, quod opes, quod gratia multa venena
Celant, non ſecus ac hamum tegit eſca doloſum.
Hæc eſt noſtrarum nugarum clauſula, Romam
Me non venturum, quoniam tibi inutilis eſſem,
Et mihi damnoſus. Quod ſi jubeas, quia ſic vis,
Tunc præceps veniam, non ſponte equidem, at quia honeſtum eſt
Noſtra tuo obſequio poſtponere commoda ſemper.

III.

Amaryllidis querelæ de Daphnide abſente.

ECLOGA

adhuc inedita.

CONJUGIS abſentis flagrans Amaryllis amore,
Nec deſiderium reditus, longaſque morarum
Cauſſas ferre valens, ſinuoſi in margine Larî,
Qua (*a*) tumet alterno, & reſidet Pluviana ſuſurro,
It vaga, & aſſiduo curas lenire querendo
Credens, hæc ſurdis jactat verba irrita ſilvis.

JOSEPHI MARIAE STAMPA,
CLERICI REGULARIS CONGREGATIONIS SOMASCHAE,

Breves in hanc Eclogam Interpretationes, quam ſcilicet nobis divulgandam ipſe perbenigne Mediolano miſit.

HAnc Eclogam, candidam ſane ac venuſtam, vel a Joanne Antonio Vulpio, vel a Hieronymo ejus fratre conſcriptam dici oportere non diffitebitur, quiſquis cogitaverit, eam tamdiu inter Vulpiorum carmina ſervatam eſſe, atque ab ipſorum ſtilo minime abhorrere. Priori tamen rectius tribui, illud argumento eſſe poteſt, quod in ea, nomine Amaryllidis diuturnam conjugis abſentiam dolentis, intelligenda videatur Eccleſia Novocomenſis, cujus Antiſtes Bernardinus Crucejus Romæ per id tempus apud Alexandrum Farneſium, S. R. E. Cardinalem, commorabatur, ipſa tantiſper Joannis Antonii Vulpii, quo utebatur valde familiariter, fidei ac diligentiæ commiſſa. Porro Vulpius munere ſibi demandato egregie perfunctus, Crucejo, qui Epiſcopatum ſponte depoſuerat, ſucceſſor dari meruit. Eruditi Lectoris erit, quid de tota hac re ſtatuendum ſit, dijudicare.

(a) *Qua tumet, & reſidet Pluviana*) In ea ſcilicet Larii lacus ora, in qua *fons ille duorum Pliniorum præconio, & admirabili fluxus & refluxus varietate memorabilis* (verba ſunt Paulli Jovii in Larii deſcriptione) vulgo *la Pliniana*; ſive *Pluviana*, ut vocat Vulpius noſter.

Quintum purpureis velatum tempora sertis
Ver properat, totidemque venit cum messibus æstas,
Ex quo te absentem nequidquam, perfide Daphni,
Suspirans revoco ad genialis fœdera lecti.
Tu tamen uxoris lacrimis, ceu fraxinus Euris,
Immotus, spernensque (nefas!) promissa, fidemque,
Hinc abes, & nostro gaudes fortasse dolore.
At non hos thalamos, non hæc connubia læta
Sperabam, quum te, quamvis prohiberet Amyntas,
Vicini, nostrique simul custodia ruris,
Dedignata procos illustres, perfide, solum
Solum te vellem, cui me sociare marito
Delegi, addicens tibi memet, & omnia mecum.
Non ego ut insomnes traherem mœstissima noctes,
Ah misera, aut viduo languerem frigida lecto,
Aspernata alios, sum te unum amplexa maritum.
Sed tibi me æterno volui conjungere vinclo,
Ut paries hederæ pallenti, ut vitibus ulmus;
Nec foret a nobis qui te divelleret umquam,
Exitus ut vitæ, & morti par esset utrique.
Tu tamen oblitus fidei, legisque maritæ
Immemor, ad Tuscam Tiberini fluminis oram
Hinc abes, & reditus in longum, perfide, ducis
Caussando, miseram dum spe me pascis inani.
Scilicet in viduo tabescam (*b*) membra cubili

Assi-

(b) *Tabescam membra*) Fortasse legendum *tabescant*, vel *tabescent*; quamquam & lectionem quæ in manuscripto reperta est, Hellenismi ratione tueri possimus.

Assiduo? vanoque illudar nomine semper
Connubii? sterilesque feram nova nupta hymenæos?
Nec sum adeo informi facie, nec corpore, Daphni,
Me nisi fallit amor nostri, aut jactatio formæ
Est odiosa nimis, jure ut me spernere possis.
Præmia sola tuli, Damœta judice, formæ,
Mecum vicinæ quum certavere puellæ,
Unde mihi, invitæ licet, at cessisse fatentur.
Sunt mihi cum totidem gregibus magalia centum,
Et totidem nostris armenta in montibus errant,
Umbra ubi perpetua est, ubi semper pabula læta,
Aeterni & trepidant querulo cum murmure rivi.
Sed neque castaneæ molles, nec jugera (c) campi
Multa, satis: nostris vindemia Massica prelis
Vincitur: innumero Sicyonia bacca trapeto
Atteritur, mensæ servatur nobilis orchis.
Præterea, extremo piscosi in litore Larî
Est mihi (d) celsa domus Pario de marmore structa,
Certat ubi officiis vernarum sedula turba:
In mea jurarunt tercentum verba clientes.
Tota mihi paret regio quam Larius ingens
Adluit, ora simul quam (e) Rhæticus Abdua findit,
Et

(c) *Nec jugera campi Multa, satis*) Id est, nec satis mihi est multa campi jugera possidere, unde fruges uberrimæ quotannis proveniunt; sed præterea vinetis & olivetis abundo. Primo aspectu, aliquid hic deesse videri possit: sed attentius considerantì omnia plana erunt.

(d) *Est mihi celsa domus*) Episcopalis nempe domus Novocomi. Est enim Novocomum in extremo Larii litore.

(e) *Rhæticus Abdua*) Abdua fluvius e Rhæticis alpibus fluens, Volturrenam decurrens, atque in Larium denique erumpens.

Et qua Ticinus (*f*) Verbani fertur in æquor.
Hæc tibi dotali ceſſerunt nomine, Daphni,
Inque tuam venere manum noſtra omnia mecum.
Tu tamen aut Hadriæ ſcopulis, aut tigribus ortus
Hircanis, fidei oblitus, legiſque maritæ,
Hinc abes; uxoris lacrimis nec flectitur illa
Quæ tibi, crudelis, perſtat ſententia menti.
Ah quoties abiere nives, quotieſque caducæ
Arboribus rediere comæ, dum te, improbe, fruſtra
Exſpecto, viridi circumdans limina (*g*) lauro!
Si deſpecta tibi ſum forte, incommoda noſtra
Nec curas, non te ſaltem tua damna movebunt?
Obvenere tibi poſtquam noſtra omnia mecum,
Sive ego, ſive aliquid noſtri perit, id perit uni,
Daphni, tibi, & rerum ſequitur jactura tuarum.
Aſpice ut abſentem ſpernat te inimica deorum
Gens (*h*) alpina, genus durum, miſcere profanis
Auſa ſacra. officio prohibet parere clientes,
Deſpicit imperium, ſublatis ſæpibus agrum
In noſtrum profert fines: nos ſevimus illis
Meſſem, noſtra ſuis lacubus vindemia fervet.

Quin

(f) *Ticinus*) Hic fluvius in Verbanum lacum defertur, qui finis eſt Diœceſis Novocomenſis.

(g) *Circumdans limina lauro*) Solebant veteres lauro ædium fores coronare, ut incolumitatem ac felicitatem ſignificarent. Ejus conſuetudinis meminit Tertullianus in Apologetico.

(h) *Gens alpina*) Hæretici qui ſe a Joanne Calvino, falſorum dogmatum auctore, Calviniſtas appellant, & Rhæticas alpes incolunt. Hi nimirum ea tempeſtate, in Diœceſis Novocomenſis fines irruptionem facere cœperant, & ſuos ibi errores propagare.

Quin etiam posuit pecori, pecorisque (i) magistris
Insidias; demum ausa greges vi avertere aperta,
In nostrisque oculis ovium jugulare magistros.
Hic etiam se se occultant in vallibus imis,
Insultantque ovibus miseris (k) ursique, lupique,
Quos morsu assiduo, & latratu fida (l) canum vis
Exercens, tandem Italiæ omnibus expulit oris.
Quid faciam infelix absente hinc conjuge? sola
Femina me campo nullis prope viribus ausim
Credere? totque armis immania monstra lacessam?
Ipse quidem (m) Damon, curam te absente peculi
Cui dedimus, præsto est animo, nec frangitur armis:
Consilio, & toto quæsitis orbe molossis
Pro gregibus pugnat, proprioque arcere periclo
Nititur insidias, vimque, incursusque ferarum;
Sed tamen & numero multum est, & viribus impar.
Quos tua dat monstris animos absentia, franget
Sola tui adventus fama, atque jugo effera colla
Sponte dabunt, quum te portis effusa juventus
Frondibus accipiet festis, & carmine sacro.
Tunc ego te venerata prius, mille oscula, mille
Amplexus rapiam, & lateri tibi semper adhærens,
Sive

(i) *Pecorisque magistris*) Nonnulli animarum pastores, dum gregem sibi commissum strenue defendunt, ab hæreticis interemti sunt.

(k) *Ursique, lupique*) Qui clam hæresi Calvinianæ, ac Lutheranæ favebant.

(l) *Fida canum vis*) Inquisitores hæreticæ pravitatis (ut vulgo appellant) quos metaphorice canes vocat, fortasse a cane, qui divo Dominico, e cujus familia sunt, appingi solet.

(m) *Damon*) Joannes Antonius Vulpius, qui loco Bernardini Cruceji Episcopi, absentis, Novocomensem Ecclesiam gubernabat.

Sive greges obeas, ſive ad (*n*) mulctralia pergas,
Occurraſve feris ferro, aut indagine ſaltus
Cingas, feminea auſim prima pericula dextra
Tentare, & primos non detrectare labores.
Prima dies reducem quæ te advehet, illa diebus
Scribetur feſtis, cadet illi multa quotannis
Hoſtia, pendebitque tholo votiva tabella.
Tum nobis fauſtos caſus, eventa beata,
Felices thalamos, connubia læta puellæ
Finitimæ invideant, ac me contemnere dicant
Præ te poſſe deos, thalamoſque, dapeſque deorum.
Sed quid ago? ſcopulis jacto verba irrita duris.
Daphnis abeſt, Amarylli, tuus, tua qui omnia tecum,
Et natale ſolum, percuſſaque fœdera ſpernit,
Dum beat ex (*o*) ſpoliis alienis Tibridis oram,
Et fortaſſe novos (quis ſcit?) ſuſpirat amores.
Namque ferunt illum, non aſpernante puella,
Exuri dudum (*p*) Tiberinæ Phyllidis igne.
Quid ſtruis ah Phylli? hic meus eſt. te, pronuba Juno,
Appello, &, juſti thalami, te, auſpex Hymenæe.
At video: illa tibi eſt potior, Daphni improbe, Daphni
Perfide, quod Tyrio redimita eſt murice palla.
At mea, quæ (*q*) viola rutilat, quæſita minori

Eſt

(n) *Sive ad mulctralia pergas*) Nomine mulctralium, ærarium fortaſſe intelligit, vel prædia ad Epiſcopum pertinentia.

(o) *Ex ſpoliis alienis*) Puta Novocomenſis Eccleſiæ reditibus.

(p) *Tiberinæ Phyllidis igne*) Romanæ ſcilicet purpuræ deſiderio, vel alterius dignitatis quæ ad purpuram obtinendam viam quaſi muniat.

(q) *Quæ viola rutilat*) Violacei enim coloris veſtibus Epiſcopi induuntur, quæ minoris quidem habentur, ſed & minore laborum impendio conſtant.

Eſt pretio, innumeris nec ponto (r) educta periclis:
Gratia nec violis, ſi vis conferre colores,
Eſt minor (ſ) atque roſis, aut purpureis hyacinthis.
Sive tamen properas ad nos, ſeu te improba (t) pellex
Detinet, optati dum ſpe fruſtretur amoris,
Dii tutelares, quibus albam paſco juvencam
Ex voto, ſervent mihi te, & tua vota ſecundent.

IIII.

DE BEMBO.

CANTABAM, memini, pulcher, tibi carmen, Alexi,
Quum nova ſe ſe oculis obtulit ara meis.
Obſtupui; cecidere animi, ſteteruntque capilli,
Sanguis abît: quid agam tunc ego, quove ferar?
Protinus ecce vocor, rurſuſque iterumque vocatus
Aſpicio: ternas vidimus ire deas.
Altera tura manu geſtabat, & altera pilum:
Tegmine clara oleæ tertia frondis erat.
Prima eſt Tuſca mihi, Romana eſt altera Pallas
Cognita: quæ comes his, Attica virgo fuit.
Indicium Tuſcæ ſacri pia turis acerra;
Martia Romanæ pila dedere mihi:

(r) *Educta*) In manuſcripto legitur *quæſita*, contra metricæ artis regulas. Nos lacunam ita explevimus.
(ſ) *Atque roſis*) *atque* pro *quam*.
(t) *Pellex*) Pro eo quod hominum deſiderium pellicit, qualecumque tandem illud ſit.

Atticæ oliviferi viridis frons, baccaque rami,
Per quam Cecropio nomina parta solo.
Dum sequor, in strato fulsit mihi purpura lecto,
Quem subiere novem, turba diserta, deæ.
Hunc circum aurato resonat dum pectine Phœbus,
Prima pio querulos edidit ore modos:
Qualem fatali transfixo vertice penna,
Deficiensque suo funere cantat olor.
Cœpit: Quæ fueram cunctis prælata puellis,
Dum tu vivus eras; hei mihi, nunc jaceo.
Quæ sermone feras mulcebam, & carmine blando
Dum tu vivus eras; hei mihi, nunc taceo.
Flexímus, heu, cantu Venerem: vix vulnera sensi
Dum tu vivus eras; hei mihi, nunc pereo.
Ah mea quis misero miscet deus otia fletu?
Proque jocis tristes has mihi dat lacrimas?
At dum plura cupit, siccis vox faucibus hæsit.
Addidit his questus virgo Latina suos.
Qualibus ambustum proles Clymeneïa fratrem
Sole satum gelidi flebat ad amnis aquam:
Talibus illa modis, lacrimisque cadentibus orsa est,
Mæsta os, scissa comas, lumina fixa solo:
Stabam ego, dum stares, & te regnante, manebam:
Labere, sum tecum lapsa; cadis, cecidi.
Eheu quo cecinit, quove hic est ore locutus!
Illa mihi quis nunc aut canit, aut loquitur?
Exciderat mihi priscus honos: tu reddere priscum.
Hei mihi, tu moreris, priscus honos moritur.

Eheu,

Eheu, quod tecum calamis modulata placebam:
Eheu, quod modulor te ſine, nec placeo.
Plura dolor vetuit. Sed non minus æmula tandem
Graja ſuum querulo fudit ab ore melos.
Qualem queſta, ſui caſus memor, Attica vocem
Vere novo Geticis dat philomela jugis:
Talis erat Grajæ triſtiſque, & blanda viciſſim
Vox, linguæ interitum dum flet & illa ſuæ.
Quæ ſimul ac queſtæ, pronæ incubuere jacenti:
Oſculaque exſangui dat ſua quæque ſeni.
Et ſimul: Ara tibi Romanæ eſto urna Minervæ:
Hæc tibi Palladio convenit urna viro.
Nec mora: ſacrati ventum eſt ad limina templi;
Et data funereis turea dona focis.
Et dixere Vale, & requiem optavere perennem,
Et tumulo carmen compoſuere ſuum:
Conditur hoc tumulo doctorum fama virorum,
Muſarum nuper vita, modo interitus.
Adſenſere novem: Phœbus pater adnuit illis,
Fregit & auratam, qua cecinere, fidem.
Intonuere poli: Tiberi vagus Hadria fluctus
Miſcuit: o mirum! fecit & Arnus idem.
Fecit idem Alpheus, qua Graja prorſus ab ora
Lucidus in Siculas mergitur amnis aquas.
Intonuit rurſus lævum: clamoribus æther
Inſonuit: patula eſt urna reperta ſenis.
Raptaque in ætherias auras fugit umbra: cadaver
Conditur. ut licuit viſere, BEMBUS erat.

V.

AD LUDOVICUM DULCIUM.

(Hoc Elegidion ſcripſit Auctor admodum adoleſcens.)

DULCI, qui mulces æſtus, ventoſque furentes,
Aeſtuat Hadriaci quum magis unda maris:
Qui trahis ad dulces calamos ex æquore vaſto
Cæruleoſque deos, ſquamigerumque pecus:
Barbara corda domas qui arguto pectine, corda
Barbara, Sithonia frigidiora nive;
In Pholoen, DULCI, vertas miracula cannæ,
Et ſtipulæ vires experiare tuæ.
Sentiat illa meos ignes, incendia noſtra
Sentiat, alterna diſpereatque face.
Si tibi ab ingenti caſu ſervaris amicum,
Accedet titulis gloria magna tuis.
Ipſe tui interea memor, hic altaria pono
Ex viridi nuper cæſpite ſtructa tibi.
Hoſtia multa cadet, quæ pingues imbuat aras:
Exprimet & caſus parva tabella meos.
Arbuteis libris te curva falce notabo;
Ambiet & nomen verna corona tuum.
Te ripæ Larî, te concava ſaxa ſonabunt,
Alterniſque tumens te Pluviana canet.
Dii facite, ut votis ſuccedant omnia læta,
Ipſaque ſe facilem præſtet amica mihi.

VI.

VI.

DE M. ANTONIO FLAMINIO, *qui putabatur mortuus.*

AD FRANCISCUM TAURELLUM.

TAurelle, optime mi patrone, & idem
Olim in urbe ſodalium meorum
Prime, Flaminius tuus, meuſque,
Quem cuncti modo, mortuum putantes,
Luxerunt juvenes, bonum ut parentem,
Luxeruntque ſenes, bonum ut ſodalem,
Vivit, atque valet, Deo favente;
Quem ſancte coluit, pieque ſemper.
Sic eſt. Flaminium meum, tuumque
Viventem alloquor, audio loquentem
Illa nectare dulciora verba,
Dicentemque gravedini ſalutem,
Vitæ dicere quam antea parabat.
Verum, ne auxilio medentum, & arte,
Aut labore putes eum retentum
In vita. jam animus ſolutus arto
Nexu corporis incolebat aſtra,
Nil mortale videns, nihil caducum:
Sed nobis fuit ille reſtitutus
Votis & precibus mei Priuli.
Namque adferre ſolent Deo ſupremo
Vim vota, atque hominum preces piorum.

VII.

VII.

SUB IMAGINE ATHILAE.

QUID tot conſpiciens, viator, altum
Erecta ad tumulum tropæa, totque
Victorum exuvias ducum, urbiumque
Tot cadavera, totque de ſubactis
Triumphos populis, ſtupes anhelus?
Rex ille ATHILA, numinum flagellum;
Tu noſti reliqua; hic jacet. viator,
Cerne ut nunc etiam cinis ſuperbus
Spiret imperium, minas, furorem.
Hunc caſus niſi, narium ſoluta
Vena, dum thalamis novæque nuptæ
Indulget nimis, abſtuliſſet; orbis
Everſus, titulos, decuſque monſtro
Fatali cumularet, & tropæa.

VIII.

SUB IMAGINE FRIDERICI I. IMPERATORIS.

EXCISAE Italiæ cupiens penſare ruinas,
Vel ſaltem in pulchra quærere morte decus,
Aenobarbe, Aſiæ fines irrumpis, & hoſti
Eripis avectas relligionis opes.
Invidit cœptis Fortuna inimica ſecundis,
Nam dum te in nitido proluis amne, cadis.
Macte animis, ingens, Aſiæ digniſſime campis;
In quibus illuſtres tot cecidere viri.

Hinc

Hinc vatum calamos, & marmora, & æra fatigas:
Hinc merito claris adnumerare viris.

IX.

SUB IMAGINE ISABELLAE ARAGONIAE.

HAec quæ ſpectãtum ora tenet ſuſpenſa, rapitque
Senſus, atque animam, & prope ſpirat picta tabella,
Docta animata manu, ſpeciem infelicis ELISAE,
Fortunamque, habitumque refert, animoſque viriles.
Aſpice, ut in vultu majeſtas regia avorum,
Et patris, & patrui, fratriſque reluceat. iſto
Vultu jura dabat populis, quùm ſceptra teneret
Conjugis, & nati; Inſubriæ & tractaret habenas.
Hæc etiam infenſis ſuperis, adverſa ſuorum
Fata tulit, morientis avi quum lumina claudi
Vidit, & expulſum regno patruumque, patremque;
Et fratrem ereptum, quum jam cœpiſſet avitis
Sedibus, & ſceptro ſumma virtute potiri.
Quid memorem regno ſpoliatum fraude maritum,
Sublatumque dolis? aut cari funera nati?
Quis valet hæc ſiccis oculis audire? ſed illa
Non lacrimis urſit cineres, non queſtibus; altum
Sed tulit infracta, & preſſit virtute dolorem.
Cernis ut affectus vivos animata tabella
Exprimat in vultu? ut ſummo certamine pugnet
Cum virtute dolor? ſexus cum ingentibus auſis,

Atque

Atque animis? pulsi ut cedant sexusque, dolorque?
Fortunâ insignes aliquot fortasse vetustas
Jactabit regum matres, & regibus ortas:
Sed quæ agitata diu per tot discrimina rerum,
Per varios casus, rapidis jactata periclis,
Aequo animo infensæ Fortunæ exceperit ictus,
Nulla erit, antiqua, aut veniens quam conferat ætas
Fortunæ, fatis, animo infelicis ELISAE.

X.

SUB IMAGINE GEORGII FRAISPERGII.

QUIS te, GEORGI, magne ductor agminum
Quæ mittit altrix militum Germania,
Insanientem perculit quondam furor,
Tarpeja ut igne sis minatus culmina,
Urbemque totam perditurum Romuli:
Impiaque vincla (proh scelus!) paraveris,
Cervice queis traheretur ipse Pontifex?
Ecce ut repente stratus occidis levi
Morbo, priusquam mœnibus Quiritium
Castra admoveres: nempe sic visum deis,
Titanas olim qui superbos, & polo
Arma inferentes contuderunt fulmine.
Conatus iste nomini notam tuo
Quamvis inurat, Ducibus egregiis tamen,
Quos prisca jactant sæcla, vel præsentia,
Par esse consilio, manuque diceris.

XI.

XI.

DE ANTONIO LEVA.

QUUM ſemper vincas, totis licet artubus æger,
Conſilio, non vi, vincere, LEVA, doces.

XII.

In fontem Plinianum, atque in ædes magnificentiſſimas a Comite Joanne Anguſſola ad eum fontem exſtructas.

Adhuc ineditum.

ADVENA, qui in ripa Larî miracula cernis
Nunc abeuntis aquæ, nunc redeuntis aquæ:
Quod fons ſit gelidus, quod vitro clarior unda,
Quod ſcateat gemmis, quod fluat, & refluat,
Naturæ hoc opus eſt. ~~Mirari deſine cauſſas,~~
Sed tibi ſit ſplendor ſuſpiciendus Heri.
Mirare excelſas rupes, monteſque ſubactos,
Et domitos fluctus collibus oppoſitis:
Piſcinam, umbroſum nemus, hortos, ſæpta ferarum,
Et mira arte domum cautibus impoſitam.
JANUS ab Eridano ortum ducens, nomen ab angue,
Aere ſuo ſtruxit commoda tanta tibi.

XIII.

De quadam veteri Inſcriptione ad C. Plinium Cæcilium pertinente.

Verſus a Vulpio adoleſcentulo, ſeu potius puero, conſcripti, & adhuc inediti.

INVIDA, CAECILIUM ut poſſis delere, vetuſtas,
Frangere conaris marmora, ſcripta, notas.
Sint exeſa licet, confractaque marmora, vivent
Te tamen invita nomina CAECILII.

HIE-

HIERONYMI VULPII
NOVOCOMENSIS,
JOANNIS ANTONII FRATRIS,
Cosmographi suo ævo excellentissimi,
EPIGRAMMATA NONNULLA.

I.

In Statuam Satyri, & Pueri.

BLANDITUR puero Satyrus vultuque, manuque:
Nolenti similis contrahit ora puer.
Quem non commorint, quâvis de marmore? fundit
Pæne preces Satyrus, pæne ~~puer lacrimas~~.

II.

In Statuam Vertumni.

VERTITUR in lapidem, hoc si credis vivere numen:
Si lapidem esse putas, numina viva vides.
Unde hoc? VERTUMNUS latitat sub marmore, suetus
Lumina mutatis fallere imaginibus.

III.

In Statuam Adonidis.

QUum Cytherea procul Parium ſpectaret ADONIM,
Accurrens tales fudit ab ore ſonos:
Quis deploratum nobis te reddit, ADONI?
Quæve tibi lucem fata dedere novam?
Dixit, & ad caros amplexus læta cucurrit,
Figeret ut niveis oſcula preſſa genis.
Aſt aprum aſpiciens, nova vulnera dente minantem,
Semianimis trepido concidit icta metu.
Vivere quis neget hos lapides? ſi incendit ADONIS
Corda deæ forma; vulnere terret aper.

IIII.

Sub imagine Joannis Jacobi Trivultii.

SUNT tumuli, JACOBE, tui, certamina, captæ
Urbes, captivi, regna, tropæa, duces.
Hos tumulos tibi tu propria virtute paraſti;
Nos tibi pro titulis carmina bina damus:
Vicerat hic hoſtes animis, at nomine mortem
Vicit: & invictus vixit, & interiit.

JOAN-

JOANNES MATTHAEUS TOSCANUS

Pepli Italiæ Libro III.

HIERONYMUS VULPIUS.

EXIGUIS vaſtum tabulis includere mundum
Gnarus, & ante oculos ponere utrumque polum,
VULPIUS *Aonio novit quoque vertice Muſas*
Deductas, Larî ſiſtere ad antra lacus.
Cui fugit anguſtis concluſus finibus orbis,
Hujus grande ſolum vix capit omne decus.

Novocomenſis VULPIUS *ætatis noſtræ Coſmographos longo poſt ſe ſpatio reliquit. Ejuſdem Epigrammata acumen illud ſummum, a quo animam accipiunt, non ſine candore obtinent. Hujuſmodi ſunt pauca illa quæ inter Carmina Illuſtrium Poetarum Italorum publicavimus.*

FRANCISCUS MARIUS MOLSA

DE HIERONYMI VULPII

Coſmographia, ad Carolum V. Imperatorem.

VICTOR Alexander, ſumtis dum fulminat armis,
Anguſto gemuit ſe nimis orbe premi.
Hoc tu quam melius! cujus jam ſceptra veretur,
Hic radii quidquid VULPIUS *ambit ope.*

FINIS.

NOI

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Joannis Antonii Vulpii Carminum Libri tres* ec. non eſſer coſa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contra Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Giuſeppe Comino* Stampatore in Padova, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 31. Marzo 1724.

(Gio: Franceſco Morofini Cav. Rif.
(Alviſe Piſani Cav. Proc. Rif.
(Gio: Pietro Paſqualigo Rif.

Agoſtino Gadaldini Segretario.



PATAVII. CIↃIↃCCXXV.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

MAG 2020746